

ALEXANDER SEPTIMVS

PONT. MAX.

ANAGRAMMATICE'

Humili, ac Reuerenti


anIMo DeCLInatVs.



ROMAE, Apud Ignatium de Lazaris.


Superiorum Permissu.


ALEXANDER VII·CHISIUS SENENSIS
PONT· OPT· MAX·
Creatus die 7. Aprilis 1655.
Gio: Marco Paluzzi Formis Romæ.



DEDICATIO.

Sinite Paruulos venire ad me. Marc. c. 10
Superbis enim resistit, Humilibus dat gratiam.
Iac. c. 4;





IHI Paruulo liceat Accessus in Conspectu tuo BEATISSIME PATER; Quàm Paruulus sim hoc Opusculum (in quo nil aliud, quàm instar Paruuli declinare, reperitur) testabitur. Verùm, vt Filio-



§ 2 ll

li Parentum ſuorum Nomina continuò verſant ore; ita, BEATISSIME PATER, tuum ſub Pectore meo Nomen indeſinenter verſabam, vt ad id reuerenter declinandum fuerim animatus. Tu hanc Declinationem Paterno affectū ſuſtine, quam Filiali Amore.

Tuæ Sanctitati

DEO Ita VoLente DeDICo

INDEX RERVM ANAGRAMATE.

Hu-


Sa-



Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palat. Apostolic.

M. A. Oddus Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Georgius Rainoldi Mag. Reuerendiss. P. Fr. Raymundi Capisucchi Sac. Pal. Apostol. Magister Sac. Ordinis Prædicatorum.

.M I



NOMINATIVVS
HIC
ALEXANDER SEPTIMVS

ANAGRAMMA I.

PLANEMVS EI DEXTRAS.

Angelorũ Custodia. *In manibus tuis portabunt te, ne fortè offendas ad Lapidem pedem tuum. Psalm.* 90.

Sidereæ celeres properate, volate cohortes!
  Angelicas misso sidere ſtrate manus.
Tanti ſunt Lapidum cumuli Tellure locati,
  Vt vix illæſus vulnere Iuſtus eat.
Viribus vnitis iurarunt Styx, Caro, Mundus:
  O DEVS! in Iuſtos quàm fera bella dabunt!
O Vos Angelici! quibus eſt cuſtodia noſtri,
  Numinis ex iuſſu, currite, ferte manus!
Incolumes ſeruate pedes, quibus Aſtra petuntur,
  Ne læſus lapidum vulnere fortè cadam.
Heu quanti ſcopuli! lapides vix dixero iuſtè;
  Inſidias cudunt Styx, Caro, Mundus, Amor.
Dicite nunc: PLANEMVS EI nos vndiq; DEXTRAS:
  Viuat ALEXANDER SEPTIMVS Incolumis!

ANAGRAMMA II.

ALEXANDER SEPTIMVS

EX PLANTA SEDERIMVS.

Vera Quies.

Sumam de medulla Cedri sublimis, & plantabo super montem excelsum, & eminentem. Ezech. 17.

HIc tandem Requies nobis est dulcis ab vmbra,
Quam dedit excelsæ sacra medulla Cedri.
Hanc super excelsos mira plantagine montes
Plantauit Cedri dextera sacra Dei.
Hæc manus excelsi! meritò nunc plaudite Gentes,
Sunt vobis montes hos super alta Cedrus.
Dulces, & densas per mundum proijcit vmbras:
Has vos ò Gentes Poscite! Porta patet.
Non alias Libani sub vertice quærite frondes
Petra Petri in Celso dat modò monte Cedrum.

ANAGRAMMA III.

ALEXANDER SEPTIMVS

INDEX MEVS LÆTA PARS.

Bona Cõscientia.

Paratum cor meum DEVS! Paratum cor meum. Psalm. 56.

O Te felicem sincero Pectore Dauid!
Qui semper puro Corde Paratus eras.
Carceribus mauult Ioseph submergier atris,
a Gen. c. 39 Quàm Cor innocuum commaculare suum. a
Cùm Iob mille malis percussus, & vlcere pressus:
Omnia perdiderat, totus et vlcus erat;
b Iob. c. 1. Non tamen in Verbo maledixit Numina Cœli; b
Sed: DEVS ipse tulit, qui mihi & ante dedit.

Scili-

Scilicet hic Vir erat Iuſtus, benè Conſcius in ſe,
Hinc nulla potuit lædere voce DEVM.
Semper adeſt pars læta viris, vbi ſtat bonus Index,
Nec Cor, nec Mentes Actio falſa premens.

ANAGRAMMA IV.

ALEXANDER SEPTIMVS

REX EST PALMA VIDENS.

Vigilancia. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius. Pſalm. 2.*

QVàm benè finxerunt oculatum lumine ſceptrum
Quod proprium cautis Regibus eſſe ſolet.
Eſt etenim Rex Palma videns in Monte Locatus.
Cuius ineſt proprium cernere quidquid agat.
Quàm malè Regna ruunt cæcato Lumine Regum!
In Cineres abeunt ſceptra, Corona, Thronus.
a 1. Reg. c. 28. Nec Saul, [a] nec Salomon [b] ſtat poſtquam lumine cæcus:
Vllius Alterius, nec manet Imperium.
b 3. Reg. c. 11. Nonne ſuperbe iaces Pharao ſubmerſus in vndis? [c]
c. Exod. c. 14. Cauſas pande miſer! Cur? quia Cæcus eras.
d Petr. Tu [d] vide quo properas quiſquis Rex diceris Orbis:
Sit Tibi REX humilis Purpura, PALMA VIDENS.



ANAGRAMMA V.

ALEXANDER SEPTIMVS

EX PALESTRA MENS DIV.

Cognitio rerum.

Erudimini, qui Iudicatis terram. Pſal.2.

PAleſtra mentis, & Paleſtra corporis,
Certamen vndiq; noua bella præparant.
Hinc tela fraudes Innocenti cuſpidant,
Illinc doloſa retia locant Regibus:
Iniuſta iuſta ſomniant homines mali,
Bonum colorem ſæpè dant rebus malis.
Ah! veritatem candidam quoties nigrant?
a Eccleſ. c. 10. Seruiſque Domini ſæpè neſcij ſuis [a]
Famulantur, atque ſceptra debita Regibus
Temerè gubernant mancipia dolentibus
Terris, & Aſtris, Angelis, & Hominibus.
Heu! in maligno poſitus eſt ita Mundus, vt
Si poſſet aſtra fraudibus conuolueret.
Qui iudicatis erudimini Principes,
MENS, EX PALESTRA proſpiciat orbem ſuum.

ANAGRAMMA VI.

ALEXANDER SEPTIMVS

REDI TÆXAMVS PLENAS.

Conuerſio Animarum

Surgam, & ibo ad Patrem meum. *Luc.* 15.

SVrge ſcelus! Propera! Te nubibus exue mortis!
En Pater expectat! Crimina mente fuga.

Sur-

Surge Citus, dum Tempus adest, ne Porta feretur:
a 2. Reg. c. 12. Vnum peccaui, dicito: a Parce Pater.
Surgite vos Gentes, quas trux Septemtrio vero
Surripuit Patri! Currite, tempus adest.
Vnanimes firmo coniungite foedere dextras;
Nectite sinceri pectora, corda, manus!
Quos Asia, aut Europa tenet, vel America, surgant
Et Celeres repetant pristina tecta Patris,
Pastor hic excipiet, nullos abs æde repellet,
Vlnis ambabus pectore stringet Oues.

ANAGRAMMA VII.

ALEXANDER SEPTIMVS

NAM DEVS EXPLET IRAS.

Timor DEI *DEVS Maiestatis intonuit: Vox Domini confringentis Cedros. Psal. 38.*

ISraël expauit diuinum fulgure Domnum,
Necdum pro Populo verba locutus erat.
Non nobis Dominus, clamabat, verba loquatur
a Exod. c. 20. Tu nobis Moyses pandito iussa DEI: a
Nam, si vox Domini confringit culmina Cedri,
Quam facilis nobis rumpere corda potest!
Pro dolor! Illa dies quæ explebit Numinis Iras,
Dum Iudex veniet; quæ fuga me rapiet?
Nunc! Nunc! Rumpe scelus! Renoua cum Numine fœdus
Quisquis amas puros saluus adire Polos!
Si vox blanda DEI populos consternat Amatos,
b Matth. cap. 25. Quàm malè prosternet Iudicis ira Reos! b

ANA-

ANAGRAMMA VIII.

ALEXANDER SEPTIMVS

TER EXPLANAMVS DIES.

Symbolum SS. Trinitatis. *Cum dilatauero terminos tuos, ascendente te, & apparente in conspectu Domini DEI tui: ter in anno Primitias offeres. Exod. 34.*

SEptenum celebrare diem mandauerat Author
  Legis: Tempora sint sacra, quiescat opus.
Num. 15. Sæuè Transgressor Legis testatus tempore legis
  Aduersus legem paucula ligna legens.
Et quibus ex causis Numen ter iussit in Anno,
  Cum tamen illi esset septima sacra dies?
Scilicet omnigenas postquam subiecero Gentes.
  Imperijque tui Terminus amplus erit;
Iussero cumque Tibi ceruices subdere Reges;
  TER mihi splendidius sanctificato dies.
Parce precor! Tibi ALEXANDER DEVS omnia subdens
  Iussit Ceruices flectere Regna thronos.
Tu Petra vera Dei cui totum subdidit Orbem,
  Splendidiùsque soles TER celebrare dies.



ANA-

ANAGRAMMA IX.

ALEXANDER SEPTIMVS

EX RE PLANTAMVS DIES.

Canoniza-tio Sancto-rum.

Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis. Matth. 16. c.

PLanta quæso dies! cupit hoc tua sacra Potestas,
Quodque ligare potes, soluere quodque potes.
Est quidam Terris sublatus sidere Clausus,
Quem tamen in sanctis noscere terra cupit.
Est tanta macie; meritò quis dixerit, Vmbram
Hærentem syluis fortè subisse dies.
Solus erat tractans, AETERNVM, mente sagaci;
Non illi terris viuere gustus erat.
Annis, hic, fateor, decies bis vidit Aristas;
Non tamen in stomacho sensit arista locum.
Nulla locusta famem pepulit, [a] nec Coruus Eliæ, [b]
Huic nec Radices, nec cibus Herba fuit.
Absque Cibo, & potu decies bis vixerat Annos
Nec semel extinxit frigida gutta sitim.
Si petitur nomen: Nicolaus de Flue, constat
Huic *Plantato diem*! Suizzera Terra petit.

[a] Matth. c. 3.
[b] 3. Reg. c. 17



ANA-

ANAGRAMMA X.

ALEXANDER SEPTIMVS

STEMVS ARX DEI PLENA.

Amor Cœlestis Patria.

Concupiſcit, & deficit Anima mea in Atria Domini. Pſalm. 83.

OBſtupuit quondam raptus ſuper æthera; dicens:
Sidere tanta latent, non licet Orbe loqui. a
a 2. Corinth. c. 12. Senſerat hoc Pſalmes animo ſuper aſtra vagatus
In Domini cupiens Atria corde rapi.
Quàm dulces Patriæ Cœleſtis credite fines!
a 2 Corin. c. 12. Vnicus intuitus corpora, corda rapit. a
Non æſtus, neq; frigus adeſt, nec fulmina cœli
Eliſios campos ſanguine nemo lauat.
Non metus, aut horror timidus, non eſt dolor vllus:
Nulla Fames Cœlis, nec datur vlla ſitis:
Diſcordes abſunt, concordes pace fruuntur;
Arcubus intenſis nulla ſagitta ferit.
Non fuga, non ſudor, non Fraus, neq; Fictio mentis:
Angelicæ ſedes Anxietate carent.
STEMVS ſcrutando Cœleſtes mente Penates!
ARX eſt lætifici credite PLENA DEI.



ANA-

ANAGRAMMA XI.

ALEXANDER SEPTIMVS

SIT PAX, NE DES MVRALE.

Amor Pacis. *Suscipiant Montes Pacem populo; Psalm. 71.*

PAx Finis pugnæ, dum Iosue cæderet Hostes,
a Exod. 21 Parta fuit Moysi Monte super Sinai: a
18 Monte super celso Pacem deprædicat Orbi
b Matth. Partus Pacificus Virginis ipse DEVS. b
c. 5. Suscipiant Montes Populo de sidere Pacem?—
Et Montes: non alium Psalte precante locum.
Mons etenim locus est altis vicinior Astris,
Ex quibus in Terras flumina Pacis eunt.
Ast quondam Princeps Pacis dum venit in Orbem
Signabat Natum pendula stella DEVM. c
c Matth. Ni fallor, latitat Senis in Montibus Author
c. 2. Pacis, sic oculis lucida stella probat;
I nunc quisquis amas Pacem, scrutare profundè
Montes Stelligeros, Pax ibi sacra latet.

ANAGRAMMA XII.

ALEXANDER SEPTIMVS

SED SIT PAX, ALEMVRNE?

Pater Pauperum. *Iudicabit Pauperes Populi, & saluos faciet Filios Pauperum. Psalm. 17.*

SInt Martis arma; grata, vel Pacis quies
Nec vlla vestra viscera lacerans Fames
a 3. Reg. c. 17 Rumpet: nec Eliam Coruus æstimo deseret. a

Centum Prophetas pauit Abdias ſpecu
b 3.Reg.7. Miſerè recluſos Iezabelis ob Metus: b
Gnatæ Perilli Nubili promptus ſua
Decem talenta quinquies numerans manu
Succurrit Alexander imperio Potens,
Quid SEPTIMVS ALEXANDER imperio Potens?
Hic indicabit Pauperes Populi ſui
Saluoſque faciet Filios nos Pauperum.
SIT PAX, ALEMVR ſinguli viuo Patre.

ANAGRAMMA XIII.

ALEXANDER SEPTIMVS.

IESV REX, DEM PLANTAS!

Perfectionis Nomen.

Ibunt Rami eius, & erit quaſi Oliua gloria eius, & Odor eius vt Libani. Oſeæ c. 14.

ARdeo non aliud, mi IESV, quàm dare PLANTAS
Vt Rami noſtri ad Sidera ſemper eant!
Vt latè fortes Ramos & Brachia tendam,
Et noſtræ Cunctos Arboris vmbra tegat.
Nunquid ALEXANDRVM te gloria ſignat Oliuæ?
Hæc Arbor miris laudibus Orbe volat.
Extenſæ Frondes contingunt Culmina Cæli,
Radices humiles Viſcere Terra fouet.
Suauis Odor Libani ſurgit de Montibus eius
Non HAE PLANTAE pro Sidere ſufficiunt?
Infra Radices me toto pectore ſterno,
Arboris & Montis me precor Vmbra tegat!

ANA-

ANAGRAMMA XIV.

ALEXANDER SEPTIMVS.

SVM ALES PERNIX AD TE.

Quis dabit mihi pennas vt Columba, & volabo & requiescam? Psalm. 54.

Desideriũ Christi vulnerum.

HInc procul Icariæ de nostro corpore Pennæ.
Quæ magis exitium, quàm mea vota parant!
Firmas,& fixas, celeres quoque deprecor Alas,
Quæ nec flammato Sidere deficiunt.
Non sub Sole peto volitando pascere mentem;
Hoc precor, vt celeres me super Astra ferant!
Nec super Astra ferant, vt Quondam mente superba
Latus & Excussus Spiritus inde ruit.
Me sed in Astra ferant ad te mea gaudia IESV,
Te sine nec Terris, nec volo stare Polis.
Tu Petra vera DEVS mihi Petræ pande Cauernas:
In tua mi IESV Vulnera Condar ego.



GENITIVVS
HVIVS
ALEXANDRI SEPTIMI
ANAGRAMMA X.V.

REX SIT IN PALMA DEI.

Maiestas Diuina. *DEVS in Cœlo, & dominaris cunctis Regnis Gentium in manu tua est Fortitudo, & Potentia 2. Paralip.c.20.*

TIbi Fortitudo, tibi Potentia ô DEVS!
Dominaris Astris, Gentiumque singulis
Regnis. Fatemur in manu positum tua
Quod est, fuit, erit. Imperia tibi cuncta sunt
Subiecta: solus Dominus es Dominantium,
Regumque Rex; Potentiorem nesciunt
Gentes, nec Astris alius imperat DEVS
Inferna froenas; media, supera dirigis.
Quicunque *Regum* Nutui parent tuo.
Meritò omnis orbis REX SIT IN PALMA DEI.



ANAGRAMMA XVI.

ALEXANDRI SEPTIMI

AN DILEXISTI PAREM?

Amor ergà Proximum

Anima Ionathæ conglutinata est Animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas, quasi Animam suam. 1. *Reg.c.*18.

ANtigoni Pietas Patri post prælia Victor
Armis congestum tradidit Imperium:
Addidit Amphiones Miseris sua funera Natis,
Et Mater Niobes vertitur in scopulos, [a]
Nec mirum, Genitis cruor, & Genitoribus idem:
Patres, & Natos par quoque stringit Amor.
Dauidemnè Parem Ionathæ dilectio strinxit?
Hic Proles Regis, Pastor & ille Gregis? [b]
Sunt tamen his Animæ pariter quasi glutine iunctæ:
Nam Gregis, & Regis lumina claudit Amor.
Non DEVS Astrorum Rex pro grege viscere clausus [d]
Virgineo? Causæ quæ? nisi solus Amor.
Imparibus DEVS, & Ionathas dant cordis Amores;
Quàm benè Par Impar ludere monstrat Amor.

[a] *Propert. l.* 2.

[b] 1. *Reg. c.* 18. *& c.* 20. *vers.* 41.

[d] *Ioan. c.* 3

ANAGRAMMA XVII.

ALEXANDRI SEPTIMI

DILEXI PAREM NATIS.

Virtus ea quæ omnia.

*Cor meum diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini. Iudic.c.*5.

HOc Natura parit similes sibi iungere partus,
Absque suis formis flectere dissimile.

Si

Si Natura negat, Virtus concedit abundè,
Quos negat illa Pares, Hæc iubet esse Pares.
Ensibus imparibus pariter tamen arte gyrabant
Barac, & socij Brachia, Marte pares. a
a Iudic.c. 5. Hos fouit cor crede suum qui prælia dextris
Pro Patrijs iussis non timuere suis.
Sit quis Paupertate lacer, vel stemmate Clarus,
Aulæ, seu Caulæ: non mouet ista DEVS.
Nullos diuitiæ fallant, nec gloria Mundi:
Mors, Amor, & Virtus nos facit esse Pares.

ANAGRAMMA XVIII.

ALEXANDRI SEPTIMI

EREXIT PALMAS NIDI.

Desiderii æternitatis. *Dicebam in* Nidulo *meo moriar, & Sicut Palma multiplicabo dies. Iob c.29.*

HIc habitare bonum Nidos plasmate sodales;
Non alius toto gratior Orbe locus.
Senserat Hussæ des dictus de viuere Iustus,
Hic etenim Nido postulat immorier.
Et cur (Tu sacris nunc extrahe verba tenebris)
Inquit dum moriar, multiplicabo dies?
Scilicet AEternos solares Orbe relinquens:
Hos etenim tetricos abbreuiabo dies.
Sistite: Cerno penes Montes stat Palma virescens,
Gentibus hanc rutilo lumine stella notat.
EREXIT PALMAS NIDI, comprendite iusti
Aeternos Nidos florida PALMA parat.

ANA:

ANAGRAMMA XIX.

ALEXANDRI SEPTIMI

SI LEX DANTI PRÆMIA?

Liberalitas. *Benefac Iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino. Eccli. c.12.*

NOn patitur legem dans munera, Fræna recusat
Aurea Libertas. Libera dona placent!
En Macedo Magnus bis quinque talènta petenti
Quinquaginta dedit: Nonne Perille satis?
Num dos ista placet poscentis lege reiecta?
Perplacet hæc nobis, inquit, abundo: satis.
Non patiare dari pro dando munere leges
Munificæ dextræ munera, lege carent.
Quisquis es auratus, benefac; da munera iusto
Restituet dotes, Orbe negante, DEVS.

ANAGRAMMA XX.

ALEXANDRI SEPTIMI

DIXI PRÆLIA METANS.

Perierunt in Prælio à facie Domini DEI mei. Iudith. c.16.

Bellum-iu perdum licitum. NVnquid bella mouere licet? vel compita Mundi
Sanguinis effusi fluctibus abluere?
Sic est: Sic exercituum Dux Sideris Author
Regibus, & Populis præcipit, ipse DEVS.
Sæpius ire licet ferro compescere flammas
Pro Populo, Patriæ legibus, atque DEO.

Pro

Immò sæpè suas coguntur stringere dextras
a Iosue, b Saul, c Dauid: Fortis, & ipsa d Iudith.
a Exod. 17. c Hoc a Amalec expertus, b Agag, c Goliath, d Holophernes
b 1. Reg. c. 15. His rapuere Animas arma, iubente DEO.
c 1. Reg. c. 17. Ergo sequar Christi certamen PRAELIA METANS
d Iudith. c. 13 Aduersus Fidei Fulmina, Bella geram.

ANAGRAMMA XXI.

ALEXANDRI SEPTIMI

SINAXI MEL TREPIDA.

Reuerentia erga Venerabi Sacram. *Sanctum, & terribile nomen eius. Psalm. 110.*

a 2. Par. c. 8. HEm! Velant facies, a Cherubim dum Numina spe ctāt:
Tu stibias facies impie puluis homo!
Prosternensque suos vultus dum Numen adorat
b Apoc. c. 5 Omnis Turba Senum procidit ante Thronum. b
Et quid homo miser? O miser, & miserabile monstrum!
Vix vno Numen tu venerare genu.
Angelicæ coram trepidant super Astra Columnæ, c
c Isai. c. 6. Et trepidè SANCTVS triplice voce sonant:
Audax atque Redempte sacrato sanguine IESV!
Impia cum socio, aut turpia verba vomis?
Disce: piè & TREPIDE sacram Venerare SINAXIM,
Terribile & Sanctum, Credito, Nomen habet! d
d Psalm. 110.



ANA-

ANAGRAMMA XXII.

ALEXANDRI SEPTIMI

DIXIT PRELIA, SANEM.

Princeps Pacis. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt. Custodi Animam meam, & erue me. Psalm. 24.*

O Quàm Terra iacit tristes ad sidera vultus!
Vno per totum vulnere strata iacet.
Orbe sonant toto Martis fera Tympana Bellum:
Inuolat Innocuam sæua sagitta Fidem!
Heu, Patrias ferrum conspurcat sanguine nostras?
a Morellus. Et splendore sacras Ecclesias viduant!
Ter decies annis spectauimus Orbe Rapinas
Et quàm ruderibus sceptra sepulta iacent.
O quot Pupilli! Vidui! Viduæque gementes!
Qui teneris lacrymis Ora genasque secant!
Tu medeare Pater; SANATO PRELIA Terris:
Hoc Populi, Patriæ, Numen & Astra petunt.

ANAGRAMMA XXIII.

ALEXANDRI SEPTIMI

PREDIXI, SANA LITEM.

Humilitas. *In uia intra se disputauerant, quis eorum Maior esset. Marc. 9.*

EN tibi continuæ fabricantur pectore lites
Inter Rixa meum nascitur atque tuum.

Non Domus est cuius non quassat Tigna Vetustas
Vix est Cuius non Pectora quassat Honor.
a Isai.14 Dixerat ille: Deo similis super Astra volabo, a
b Gen.c.3. Par cupit insulsus Viuere Numen Adam; b
Maior vterque cupit fieri, sed vterque minor fit,
Dum DEVS ex sacro pellit vtrumque loco.
En tibi discipuli Diuini Numinis, intra
Se certant Verbis, quis modò Maior erit?
Ast Medicus DEVS his medicinis vlcera sanat;
Quisquis Major erit, qui cupit esse Minor.
Lis sanata manet. Si quis vult Maior haberi;
Sit Minor: Et Capiet Syrmata, Sceptra, thronos.

ANAGRAMMA XXIV.

ALEXANDRI SEPTIMI

RELAXANT PIIS DIEM.

Modus Senectutis assequendæ. *Ponite verba mea in cordibus & animis vestris vt multiplicentur dies. Deut. c. 11.*

Sic ne? PIIS Seruata DIEM mandata RELAXANT?
Et paucos poterunt Multiplicare dies?
Sic est: æternam cupias si viuere Vitam
Serua mandati Pectore Verba DEI.
a Exod.20 Longæuùm terris, a æternùm viuitur Astris,
His Cælum Scalis Scanditur absque moris.
Flexerat ille Deum conseruans Pectore verbum,
b 4.Reg.c.20 Cui ter quinque annos addit & Imperium. b
Nulla potest Medicina dies mihi reddere tantos
Quantos concluso Pectore Verba DEI.
Cordibus ac Animis ergo illa imponite vestris.
Qui cupitis Vitæ Multiplicare dies.

ANA-

ANAGRAMMA XXV.

ALEXANDRI SEPTIMI

PIA LEX TRANSI DIEM.

Mors desiderabilis. *Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni Credenti. Rom. cap. 10.*

PErge! DIEM TRANSI PIA LEX,& Vincula rumpe!
Dissolui Cupio, viuere cumque DEO! *
a Philip. c. 1. Lex tenet. O'quàm Longa mihi sunt Vincula Legis!
Hoc quis me soluet Carcere? Paulus ait.
Vnica Mors soluet quod non vult soluere Christus,
Matth. c. 5. Hic implere cupit, soluere non voluit.
Marc. 13 Ille dies Legis descriptos Indice Patris,
Filius assuetis cursibus ire finit.
Expectat, trahit, atque parat super Astra Quietem,
Cœnas æternas, Nectar & Ambrosium.
Pergite nunc Animæ Felices! Terminus instat.
Legis enim Finis, Christus, ad Astra vocat.

ANAGRAMMA XXVI.

ALEXANDRI SEPTIMI

EXEMPLA SINT RADII.

Vita Exemplaris. *Vos estis Lux Mundi. Matth. cap. 15.*

CAecas Lux tenebras, Virtus fera Crimina quassat:
Virtus dat Vitijs Prælia, Lux tenebris.
SINT EXEMPLA mihi latum lucebo per Orbem;
Hæc si defuerint, non mihi splendor erit.

Vile, latens Virtus quid enim submersa tenebris
a Claud. de 4. Honor. cons. Proderit? a Est veluti Remige Cymba carens.
Vel Lyra quæ retinet, vel qui non tenditur Arcus,
Otia non Virtus, Ardua semper amat.
Vt Solem Tempestates, nec Fulmina terrent
Sic neque virtutem Tartara, dura, mouent.
Ergo age & in duris haud vnquam deficε, Lucens
Virtus dat RADIOS, Præmia, dona, Polos.

ANAGRAMMA XXVII.

ALEXANDRI SEPTIMI

ADREPIT MEL ANXIIS.

Consolatio Afflictorum *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam Vos. Matth. c. 11.*

ISrael in duris, Pharaone regente, flagellis
Auxiliatorem fletibus astra petit.
Contemplans populos hos per Pinnacula Cœli
Commotus lacrymis, atque labore graui:
a Exod. c. 3 Abs Ouibus, qui ducat Oues, iubet ire Prophetam a
Manans Lacte solum, & Melle daturus eis:
Absque labore suas faciet sibi viuere gentes,
Tristibus & mœstis dulcia Regna dabit.
Anxietate rutis ADREPIS MEL bone IESV,
Atque Laboranti dulce Refrigerium!
Tu Pater, Afflictis, Oneratis pondera soluis,
Sicque manet Fessis omnibus alta Quies.
Nunquid ALEXANDER tuus, hæc tua viscera gestat,
Qui pro te totum gestitat Imperium?

ANA-

ANAGRAMMA XXVIII.

ALEXANDRI SEPTIMI

EMI, SAT PLANXI, REDI.

Redemptor generis humani.

IESVS autem iterum clamans uoce magna expirauit. Matth. 27.

PLanxerat, ô quoties! Laceratas vulnere gentes,
Orbis qui Næuos Abstulit, ipse DEVS!
Planxit, & in duro persoluit crimina ligno,
Vt tandem fieret sanguine mundus Homo.
His consummatis valido clamore, reliquit
Spiritus excelsæ pendula membra Cruci.
EMI, SAT PLANXI, clamat, vocat vndique gentes:
Ad vestrum dulcem sponte REDITE Patrem.
Hem pretium vestrum! Sunt: Funes, Lacrymæ, Sudor;
Lancea, Crux, Claui, vulnera, Sanguis, Amor.
Hæc & ALEXANDER repetit quoq; verba redemptis:
EMI, SAT PLANXI, Prodige Gnate REDI!



DATIVO
HVIC
ALEXANDRO SEPTIMO
EXALTANDOS PREMIO.
ANAGRAMMA XXIX.

Vocatio Apostolica

Dispono vobis, ut sedeatis super Thronos iudicantes duodecim Tribus Israel. Luc. 22.

LAbore Nemo terreatur; Præmia
Sequentur Ampliora, quàm dederit Potens
Fortisque Macedo totius Mundi Tremor,
Vel indigenti Patriæ, vel Taxilæ a
Regi; vel etiam prælijs victo Poro. b
Vos iudicantes duodecim Israel Tribus
Superque totidem vos Thronos sedebitis.
An altiori dignitatum præmio
Poterant leuari? Quanta parturit labor!
Tunc dicet: EXALTARE Tu Qui iudicas
Terram. Sequentes me decent hæc PREMIA.

a Mille talenta vasa conuiualia ex auro, & argento vestes Persicas & 30. Equos.

b Aegrum curauit in amicum recepit, & ampliato Regno restituit.



ANA-

ANAGRAMMA XXX.

ALEXANDRO SEPTIMO

SI DENT ARMA EX POLO?

Iusta causa triumphat. *Apparuit præcedens eos Eques in ueste candida armis aureis Hastam uibrans.* 2. *Machab. c.* 5. *& c.* 11.

IN Pugnas Inuersa Fides malè concitat Orbem:
Conquassant sacros Martia bella Lares!
Hæreseos modò Turma furit; Patrias modò vertit
Aedibus incensis inuidiosa cohors!
Auxilijs priuata gemit sub vulnere Tellus,
Inuocat Aethereos in sua Bella POLOS.
Ni DEVS exurgat, nostros vt dissipet Hostes,
Tecta Sacra, & Patriæ plurima Puluis erunt!
a 2. Mach. c. 11. Quis Furias a Lysiæ confregit? Quis scidit Hostem?
Numen ab æthereo præstitit arma POLO.
Ergo DAT ARMA POLVS? Nunc vos sperate Triumphũ:
Hoc DEVS, hoc Patriæ: poscit & ipsa Fides.

ANAGRAMMA XXXI.

ALEXANDRO SEPTIMO

ANTEA SIMPLEX ORDO.

Resurrectio Sanctorum. *Reformabit Corpus Humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* *Philipp. c.* 3.

a Virg. l. 6. Aen. LEthæum ad fluuium DEVS euocat agmine magno a
Incipiuntque suis membra redire locis.

Vlti-

Vltimus ille dies renouabit Corpora viuis
Dum dabitur rursus pristina vita Pijs.
SIMPLEX ORDO meæ nunc extat temporis Vrnæ
Duplex tunc fuerit, dum noua membra dabit.
b Iob.c.19 Hac ego Pelle meâ b rursum circumdabor; hac me
Vestiet ORDO nouus, dum renouabor ego.
Nunc simplex caro, nunc simplex quoq; Pellis, & Ossa:
Tunc alius iustos Corporis Ordo manet;
c 1. Cor.c. 15. Immutabimur; c ast non immutabimur omnes:
Non hi qui sacra simplicitate carent;
ORDO sit ergo tibi SIMPLEX in pectore, qui vis
Immutata tuo viuere membra DEO.

ANAGRAMMA XXXII.

ALEXANDRO SEPTIMO

SENEX AMOR POLI DAT.

Amor DEI perfectus. *Sic DEVS dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Ioan.3.c.*

QVantus Amor latuit Cælorum limine Clausus!
Quàm vetus? Aeternus: Quàm bonus? a ipse DEVS.
a Matth. c.19 Rupit Stelligeras Arcas, descendit in Orbem:
En DEVS! ô Gentes plaudite! factus Homo.
O Amor! ô Aeternus Amor! Tibi quanta senectus?
Nondum Mundus erat, dum DEVS esset, eras.
Vnicus es Genitus Patris quem dat Pater Orbi:
Vnus & ipse DEVS Filius atque Pater.
O dulcis! Fortis! Pretiose! senex Amor, adsis!
Inflammaque sacro vulnere corda precor!
Plaudite Mortales! Nobis POLVS hunc DAT AMOREM
Hic mea continuò corda sagittet AMOR!

ANA-

ANAGRAMMA XXXIII.

ALEXANDRO SEPTIMO.

PONE, DAT LEX AMORIS.

Obſeruatio mandatorum. *Scimus autem quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum. Rom. c. 8.*

a Ouid. Ep. 3. Heroid. —

QVidquid Amor iuſſit, non eſt contemnere tutum:
  Regnat, & in ſuperos ius habet ille DEOS. a
Non vllæ ſunt tam duro cum pondere Leges,
  Quas non perlongo tempore ferret Amor.
Per Mare, per Terras, per Flammas, perque Cataſtas;
  Non æſtus fugiet, non gelidaſque Niues,
Vulnera mille parent, totidem per vulnera curret,
  Pectora promptus Amans enſibus obijciet.
Per mortes, valles, ſpinas ſub grandine Cœli;
  Imbribus effuſis, lætus abibit Amans.
Sit Ferrum, ſint Tela, cruces, ſint Tartara mille
  Quoduis certamen lætus inibit Amans.
Ergo DEVS nobis leges inſcribat AMORIS.
  Viribus adiectis cuncta ſubibit AMOR.



ANAGRAMMA XXXIV.

ALEXANDRO SEPTIMO

LEX ERO DANS OPTIMA.

Merces Beatorum

Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & Argenti. Pſalm. 118.

a Petronius Arbl. ter. in Sat.

QVisquis habet nummos ſecurà nauiget aurà
Plena penu Clauſum poſſidet Arca Iouem *a*
Dixerat. Aſt aliud Pſaltes diuinus amabat,
Non fulgens aurum, gemmiferas nec aquas;
Nec petit Indiacos Terræ de viſcere partus;
Non Arcas Crœſi, vult neque Dona Mydæ.
Hoc ſuper omne magis diuini LEX placet Oris,
Cunctis Theſauris hæc meliora dabit.
Scilicet Aeternos ſuper Auri millia mille:
Nam ſeruata DEI LEX, dabit ipſa DEVM.

ANAGRAMMA XXXV.

ALEXANDRO SEPTIMO

DA EX SOLEMNI PORTA.

Benedictio Vicarij Christi.

Benedictionem dabit Legislator. Pſal. 83.

a Gen. 28.

RVgijt ille nimis quondam, benedictio Patris
Dum Surrepta ſibi Matre docente fuit: *a*

Præ-

Præparat arma Neci; Celeres dabit ira sagittas,
Et certam Fratri fulminat ore Necem.
Ecce dies Patris venient, & tempora luctus
Tunc Animas Fratris fundere tempus erit!
Non timet ille minas; Benedictus ab ore Paterno
Has facilis furias Matre docente fugit.
Plenus lætitijs Peregrinas currit ad oras
Iam sat diues erat, cum Benedictus erat.
Quid mihi diuitiæ? satis est Benedictio Patris
Hac sine, non cupio viuere, nolo mori.

ANAGRAMMA XXXVI.

ALEXANDRO SEPTIMO

EX OMNI PARTE DO SAL.

Vita Apostolica. *Vos estis Sal Terræ. Matth. c. 5.*

SIt cibus eximius: sed cui sapiet salis expers?
Vertet, & inuertet viscera cumque fibris.
a Horat. Sat. 2. l. 1 Assis iunge elixa simul conchilia Turdis. [a]
Absque sale in stomachis, crede, tumultus erit.
Quis sal iste precor? Quosnam Saluator Amatus
His signat verbis? Perlege, volue libros.
Ecclesiæ lumen, cuius lateri Angelus adstat,
b S. Aug. de ser. m. dom. in mont. c. Inspice; soluetur quæstio Nodigera. [b]
Quisquis es; i, scrutare tuas sub pectore Conchas
Anne bonum Terræ SAL, teneasne malum.
Sis Pius, & Sapiens, & Prudens dirige gressus:
Sic Terræ Populis sal sapidus fueris.

 ANA-

ANAGRAMMA XXXVII.

ALEXANDRO SEPTIMO

MOX PARET SALIENDO.

Conuersio Animarum

Quod si Sal euanuerit in quo salietur? Matth. c. 5.

EN sapor omnis abit, sal si euanescat in Orbe;
Et cibus Hostis acer, ni saliatur, erit:
Nauseat, ad vomitum quoque languida viscera torquet;
Corpus & insolitò contremit ossa, Fibras.
Vos Animæ dulcis cibus estis, Sal sapientes: a
Ad Fontana Iacob sic docet ipse DEVS. b
Si sal es, Salias: sed, si cibus es, Saliaris:
Absque salis medio sidera nemo sapit.
Sal verbis, sal sit factis: exempla probabunt,
Qualis: Sitnè Bonus sal tibi, sitne malus.
Qui sapiens, non Fide nimis qui doctus haberis:
Quis Sal sis Populis, vltima Cæna dabit.

a S.Hier.l. 1. Contr. c. 5. Matth. b Ioan. c. 4

ANAGRAMMA XXXVIII.

ALEXANDRO SEPTIMO

DOLESNE ARX OPTIMA?

Odium Peccati.

Vidi Præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psalm. 118.

COrde tabescebat populi dum crimina vidit
Psaltes, atque sui temnere iussa DEI.

Non

Non lacrymæ deerant oculis, sed verba palato;
  Planxerat, Heu! læsum fauce tremente DEVM.
Solue DEVS cursum lacrymis! immitte dolores!
  Tu neque falsa meis lacryma parce genis!
O si mi liceat millenis Cingier armis!
  His quoque millenis in scelus irruerem.
Quàm dolor in nostrum lacerans furit vndique pectus!
  Quem causat facto crimine, quodque scelus.
Disrumpat Feruor scelera, aut mea vincula vitæ!
  Amplius offensum cernere nolo DEVM!

ANAGRAMMA XXXIX.

ALEXANDRO SEPTIMO

AN PADO REXIT SOLEM.

Filij lucis.

Flumina plaudent manu. *Psalm.97.*

RHene precare Pado multùm de corde salutis,
  Et quicunque Padi præpetis ora bibis:
En DEVS erexit Solem super Ostra, Paduinque:
  Hinc meritò applaudant flumina cuncta manu!
Vnquam quis vidit similem sub sidere Solem?
  Per Mare, per Terras quærite, perque Polos.
Non est sub modio positus Sol, aspice Montes;
  Non duo sufficiunt culmina; sena, placent.
Quem DEVS erexit cupitis cognoscere Solem?
  Vos Stellam, vestri cernite Pontificis.
En tibi quàm lucet senis de montibus Orbi!
  Ergo dum lux est, currite; viuat opus. a

a Ioan. c. 12

ANA-

ANAGRAMMA XL.

ALEXANDRO SEPTIMO

NOLO, ADAM RESPEXIT.

Detestatio Peccati. *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Gen. c. 3.*

CONspirent alij socio qui fœdere iuncti,
Concutiant leges Principis ore datas.
Præsumant iniuncta sibi violare scientes,
Non ego concurram. Criminis absit opus!
Non mihi suadebit multarum gratia vocum:
Eua, nec Aspideus sibilus abripiet.
Præceptis increscо tuis, hæc pectore figam;
Legibus abiectis non ego respiciam.
Constans semper ero, tua dum me gratia firmet,
a Act. 17. c. Qua sine nec potero membra mouere loco. a
Non me diuitiæ, nec Honor, nec Gloria Mundi
A iussis retrahent: nec mala Pauperies; b
b Rom. c. 8. Non fraudes, nec me poterunt subuertere laudes:
Respice me IESV! Non ego respiciam.



ANA.

ANAGRAMMA XLI.

ALEXANDRO SEPTIMO

DA EX SOLEMNI PRATO,

Merita Christi, & Sanctor.

Rigabo Hortum meum Plantationum, & inebriabo PRATI MEI Fructum. Eccli. c. 24.

QVàm gratiosus Hortus, ò Ecclesia!
IESV rigata sanguine pretiosiùs,
Quò liberalius cruenta Mors DEI
Hominisque vitam surripuit audaciùs.
PRATVM SOLEMNE Martyrum prægnans Rosis
Fragrantibusque virgo abundas Lilijs:
Mirumque varijs coniugatum Floribus.
PRATVM SOLEMNE! O quot, quot hic violaria
Viduata! Confitentiumque dulcia
Dumeta! Quàm SOLEMNE PRATVM Ecclesia!
Plantationes gratiosæ pullulant
Odorque sapidus spargitur placens DEO.
Tu Præses Horti, cuius osculo sacros
Veneror Pedes, precorque subiectissimè,
Benedictione replear ab Horto tuo.



ANA-

ACCVSATIVO
HVNC
ALEXANDRVM SEPTIMVM
REX PLASMAT EI MVNDVM.

ANAGRAMMA XLII.

Potestas summi Vicarij Christi.

Omnia subiecisti sub pedibus eius. Psalm. 8.

NVnquid cuncta DEI iumenta, feræque, Bouesque
 In cunctis syluis, montibus, & specubus?
De gregibusque tuis vitulos, nec cùm volet Hircos
 Poscet: nec dicet dum premet vlla Fames. a
a Psal. 49
Singula cognouit, cunctumque volatile Cæli:
 Qui cum suaueolens est quoque splendor Agri.
Est Cœli Dominus; Terræq; Marisq; Stygisque:
 Hanc stringit pœnis, præmiat illa DEVS.
Cuncta subesse vides: referat, ferat, Astra Stygemque
 Sternit ad ima Malos tollit ad Astra Bonos.
Hunc REX PLASMAT EI MVNDVM cui sũma Potestas
 In Terris: At, Cui? Quærite, nonne Petro? a
a Matth. c. 16.
Sit Petrus, aut sit ALEXANDER, subiecit vtrisque
 Sacratis pedibus cuncta creata DEVS.



ANA-

ANAGRAMMA XLIII.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

DVM MVREX PLANAT MEIS.

Varietas vestimentorum.

Byssus & Purpura indumentum eius. Prou.31.

QVàm benè cuncta DEVS vestiuit! Sidera stellis;
Frondibus Arbustum, Floribus ambit Agros.
Syluestresque specus circumdedit arbore multa:
Eius, per Campos, lilia spargit Amor.
a Ausonius. Si Bipes, & Quadrupes foret, & Tripes a Omnia vestit;
Et volucres Pennis; quàm benè! Pelle Feras.
Gentem omnem scrutare sagax, quàm vestibus amplis.
Ad Patriæ mores sit variata vides?
Ast Humeris Tyrius PLANAT tibi syrmata MVREX,
Vestis ALEXANDRI Purpura Byssus erunt.
Nullus sollicitus iam sis de vestibus vllis,
b Matt.c.6 Si te non Tellus, vestiet ipse DEVS.

ANAGRAMMA XLIV.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

MVNDVM MARE PAX TELIS.

Pax Mar. *Clamauit voce magna, dicens: Nolite nocere Terræ, & Mari, neque Arboribus, quoadusque signemus seruos DEI nostri. Apoc.c.7.*

SI fueris MVNDVM MARE, PAX erit vndiq; TELIS:
Hinc procul ex Pontho Barbarus Hostis eat!

E Iam

Iam sunt Balænæ calido sat sanguine pastæ ;
Et satis aspersit Grandia Cete Cruor .
Iam nolite nocere Mari ! nunc parcite Terræ !
Arcubus intensis nulla sagitta volet .
Non modò concussas Triton exasperet vndas :
Tu quoqne ter mœstum , & Lugubre Larma Sile !
Sufficit , *Heu* ! liquidum Confossis ense sepulchrum ;
Millia ni Fallor corpora Piscis habet .
Tela silent . MVNDVM MARE gaude! Gaudeat Orbis
Nomen ALEXANDRI symbola Pacis habet !

ANAGRAMMA XLV.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

SILE, PAX ARMET MVNDVM?

Pax Terra *Et in Terra Pax Hominibus bonæ voluntatis . Luc.c.2.*

MArs Truculente SILE, PAX ARMET Candida MVNDVM
Militis in tenebris occupet arma situs :
Sub iuga Bos veniat, sub terras semen aratus !
Candida Pax homines, Trux decet ira Feras .
Dispereant hostes , ignorent arma Triumphos ,
Pacis , quam Belli gloria maior erit .
Angelicæ Voces diuulgant Nomina Pacis .
Quæ Trux Bellorum Fœdus vbique filet .
Ergo , sit Pax in terris sit & Vrbibus Orbis .
Pacem sacratam singula Regna colant .
Exulet Ira , Furor ! Repetant sua tecta Charontis !
Iam satis effusi sanguinis Orbis habet .
Monstrat ALEXANDER Summus sat Nomina Pacis
MVNDVM ergo ARMET PAX! Mars fere, Bella SILE!

ANA-

ANAGRAMMA XLVI.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

PATREM EXVLVM DAMNIS.

Conuersio Animarũ

Exules, & Profugi ante mortem Pontificis nullo modo ad Vrbes suas reuerti poterunt. Num.c.35.

EN homo! Refugium postulas? Hic inuenis.
Miser es? Recurre, crimen abijce nil time!
Non limina erubesce Summi Principis
Qui modò rubescis innocentium sanguine.
Mersas lauato dexteras: quamuis Reus
Mortis, salutis Anchoram spera: Dolor
Dabit vel vnus, mille quod scelera negant.
Cymbas Charontis Conscientia metuit?
Vultusque sæui Iudicis abhorres feros?
Implexa criminibus anima languet tua?
Maternus aut Paternus abstrahit Fauor?
Tu Matre, Patre perge calcatis: DEO
Non dignus est qui plus amat Patres suos.
Disrumpe ruptæ vincula Fidei! Veni!
Hic, Hic reperies EXVLVM DAMNIS PATREM!



ANAGRAMMA XLVII.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

PETRE MI, LVXVM DAMNAS?

Contempt-us Mundi.

Quia DEVS superbis resistit. 2. *Petr.c.5.*

a Claud.de 4.Honor. Cons. INquinat egregios adiuncta superbia mores; a
Hinc procul à Nobis impie LVXVS eas!
Nouimus à tergo Numen quassare superbos:
b Luc.10.c Spiritus ex alto sidere testis adest. b
Dicite quid LVXVS nisi vana superbia Rerum?
Est vapor, & Fumus, Flammula, Spuma maris.
Est stipulæ similis succensæ, Flatibus Auræ:
Bullis vndosis, vtribus Aereis.
Quid tumor iste Miser? Miserandæ dicite Mentes!
Non tandem Tumidos deserit ipse Tumor?
Cur ergò mergis sub vanos pectora Luxus?
Scisne Pari vt pereat Luxus & Aura gradu?
Quàm benè tu DAMNAS PETRE MI pro sidere LVXVM
Hunc quoque damnabo sidera si cupio.



ANA-

ANAGRAMMA XLVIII.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

LVX PER AMANDVM MITES

Mansuetudo. *Quoniam tu Domine suauis, & Mitis. Psalm. 85.*

NVnc gratum venit pro mansuetudine tempus,
Exigit & mites iungere corda pares.
Quàm benè mansuetis Cælestia dona spopondit
a Matth. 5 Nam Possessores nominat esse Poli a.
Scilicet Hæredes Aeterni de Patre Regni,
Sanguine, quod peperit Filius ipse DEVS.
Non Leo, vel Tigris, vel Aper furibundus ab Ira
Mitescit domitus? Durior an sit Homo?
Quàm sunt Felices qui mansuetudine Clari!
His datur in munus victus Amore DEVS.
Dux DEVS ipse præit postquam de Virgine Natus,
Etsi Summus erat, non nisi Mitis erat.
Ducimur exemplis: Exempla capescite Gentes!
Mitis ALEXANDRI Nomen in Orbe volat.



ANA-

ANAGRAMMA XLIX.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

DEM, IN PETRA LVX SVMMA.

Lumen Fidei in salutis.

Ascendit Ignis de Petra. Iudic. c.6.

VIsio mira! Probant Gedeoni Numina flammæ,
Quas tactu virgæ Saxea Petra dedit,
Non quas flammiuomi pariunt arbusta Veseui,
Nec quas terrificè Trinacris Aethna spuit.
Is sacer ignis erat, sacros absumpsit Honores,
Quos dedit erectis victima Missa focis.
Ardens Petra Petri Flammas mage continet ignis,
Hac solà PETRA LVX mihi SVMMA datur:
Lucent vera Fides, Amor & Spes: Arma salutis;
Hæc qui nescierit Lumina, Cæcus erit:
Petrus ALEXANDRI Petras sibi iunxit, abundè vt
His ignes similes flammea Stella probet.

ANAGRAMMA L.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

MIRVM, EX LAMPADE SVNT.

Sinceritas

Oculi eius vt Lampas Ardens. Dan.19.c.

COncertent alij de Pulchritudine rerum:
Seu de Stellarum lumine: Sole vago:
Fructiferis Hortis, aut syluescentibus antris;
Stirpibus Arboreis, Floribus, aut Auibus:

Inda-

Indagent reliquas formas, Rerumque latebras,
Et quidquid Mundi pendula sphæra capit;
Non mihi quid melius dabitur nec gratius Orbe
Toto, succensâ Lampade: Crede: Cape!
Hac fretus poteris conscendere Regna salutis:
a Matth. c.21 Nam datur extinctâ Lampade nulla salus. a
Eius sunt Oculi (DOMINANTIS) LAMPAS, vt ardens
Exosus tenebras pectora lucis amat.
Est res salua! Vices Terris pro Numine supplens
Cordis sinceri Lucis Amator Adest.

ANAGRAMMA LI.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

MVNDE' SIMPLEX AMATVR.

Simplicitas sancta. *Scio DEVS meus, quod probes corda & simplicitatem diligas. 1. Paralip. c.29.*

NOn placet Ismeniæ fallax Veneratio Regum;
Tu caue præsumas Fallere corde DEVM!
Nullus decipiet Versutus Numen Vlysses,
Illo nec coram Sisyphus alter eat.
Nullis insidijs Cælorum fallitur Author;
Pectora corda probat Simplicitatis Amans.
Vulpinas absterge tuo de Pectore pelles,
Tu quicunque cupis mente videre DEVM!
a Horat. de art. Poet. Nunquam te fallant Animi sub vulpe latentes: a
Omnis virtutum Gloria Fraude perit.
Quàm MVNDE' SIMPLEX à Numine sēper AMETVR
b Matt.c.2 Scire cupis? Simplex, disce, Columba docet. b

ANA-

ANAGRAMMA LII.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

VNAM SITVM DVPLEX MARE.

Dominium Vicarij Christi.

Iureiurando dedit illi gloriam: à mari usque ad mare & à Flumine vsque ad terminum eius. Eccli.c.44.

AVro non emitur, solà virtute, Potestas:
Hanc nec Homo terris, contulit ipse DEVS.
Nil venale DEO; non commutabile Gemmis,
Sola tibi virtus commoda cuncta parat.
Nouimus Auriferis nonnunquam sceptra parère
Aut ad vulpinis fraudibus ire malos.
His caret Imperium hoc: Christus non vngitur auro,
Nec blando fraudis vulnere decipitur.
Non pretio Christi Fasces nec surripis auro:
Imperium solo vendit Amore suum.[a]
Quàm sit Grande petis? superat DVPLEX MARE DISTANS
Tellus Vnum, aliud sidera Pontus habent.[b]

[a] Ioan. c. 21

[b] Gen. c. 7 vers. 7

ANAGRAMMA LIII.

ALEXANDRVM SEPTIMVM

DEPLVE TRANS MAXIMVM.

Orare pro Ecclesia.

Quis est Pluuiæ Pater? Quis dedit vehementissimo imbri cursum? Iob. c. 38.

QVis Pater est Pluuiæ? Vehementem quis dedit imbrem?
Non nisi qui Summus dirigit Astra DEVS.

Quis

Quis dulces solis Radios dispergit in Orbe? A
Quo *N*ebulæ vt Cineres? & quasi lana *N*iues?
Sint *N*ebulæ, Pluuiæque, *N*iuesque, sit vndique Grando:
Sit Sol, Lux, Tenebræ; Cuncta dat ipse DEVS.
O' quoties, nocuos Iudex dum Fulmine quærit,
Innocuos pariter Fulmine sæpè ferit!
Depluit ò quanto iam tempore in Orbe Cruorem!
*N*on quis & Innocuus tunc madefactus erat?
Si Pluuiæ fuerint, vel stulto Fulmina Mundo
Parce precor DOMNO dum ferit ira malos

ANAGRAMMA LIV:

ALEXANDRVM SEPTIMVM

EPLANXI DEMVM TVRMAS.

Oratio pro Populo. *Conuertisti Planctum meum in gaudium. Psalm.* 29.

QVàm lacrymæ prosunt! Lachrimis Adamanta mouebis,
a Ouidius. Sæpè per has flecti Principis *I*ra solet. *a*
His quondam lachrymis Dux nouit flectere *N*umen
Dum voluit Populos sternere morte furor.
*N*on furibunda manus dederat tot millia morti,
b 2.Reg.c. 24 Donec *R*ex lachrymas miscuit atque Preces? *b*
Hem Furor accensus stringebat *N*uminis Iras,
Dum sæuæ mortis sparsit in Vrbe Minas!
O' quot vota, Preces, Lachrymas, Suspiria, Planctus
Fudit ALEXANDER Cesset vt Ira DEI!
EPLA*N*XIT DEMVM TVRMAS: nam nouit abundè
Dum cadit vnda Genis *N*uminis Ira cadit.

VOCATIVVS

O

ALEXANDER SEPTIME

LEXNE' DEMIT ASPERA?

ANAGRAMMA LV.

Obseruatio mandatorum. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Matth. c. 11.*

AEnigma forsan sparsero verbis datis,
Dum quæro LEXNE DEMIT ASPERA? Vincula
Corpus molestant, aggrauant mentes, premunt
Quotquot subesse legibus compellimur.
Lex nonnè quæuis vinculum? Durum iugum!
In dura vincla Pulchra Libertas datur?
Lex ligat, addit pondus humeris asperum.
Sic ille cupiens Scorpionibus addere
Populo petenti Scorpiones asperos;
Flagella plura dare Flagellis pristinis,
Cuius erat vnus Crassior dorso Patris
a 3. Reg. c. 11 Digitus. a &, Humeris pondera inijciunt, neque
b. Matth. c. 23 Digito mouere de loco cupiunt. b Onus
Terribile! Pondus asperum! Iugum graue!
LEX alia Christi: Cuncta DEMIT ASPERA
Mandata quæque comprehendit vnica
c Matth. c. 22. Lex: grata, suauis, facilis. Ast q æ Lex? Amor. c
Hilarem datorem diligit noster DEVS.

ANA-

ANAGRAMMA LVI.

ALEXANDER SEPTIME

DEI LEX PENAS ARMET.

Fuga Peccati. *In corde meo abscondi èloquia tua vt non peccem tibi. Psvlm. 118.*

QVæuis lex Pœnas secum trahit, arma, flagella:
Sæpè vbi causa leuis, stat quoque Pœna grauis.
Prò quoties paruæ causarunt maxima causæ!
Parua quot in mortes Lex violata dedit!
a Num.c. 15. Non imbres lapidum meruit qui parua legebat? a
b 1.Reg.c. 24. Et mellis Tactus morte luendus erat. b
Quo Lex est leuior, grauiores Tu fuge pœnas:
Aeternum longum curta momenta parant.
c Matth. c. 22. Heu! Carcer durus. c Portæ sunt vndique clausæ:
Qui semel immersus, Nemo reuersus adest!
Ne peccem Domino, Legem violare cauebo:
d Matth. c. 25 Aeternas PENAS LEX violata parat! d

ANAGRAMMA LVII.

ALEXANDER SEPTIME

PRENSA, LEX DEI META.

Beatitudo acquirenda. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. c. 19.*

a Senec. l. 2 silu. NOs Miseri! Quibus, vnde dies suprema? Quis æui
Exitus? a Incertum spicula mortis eunt!

Quæ nos hora manet ? Quibus instet fulmen ab astris ?
Nubes fatalis quæ ? Nihil ista mouent ?
Credo mouent nimiùm : Curis impellor amaris ;
Quàm mea nunc sæuè pectora concutiunt !
Attamen in tantas curæ non mergor Abyssos.
Quin nobis moueat Gaudia META DEVS.
Est modus incertus: dubiè stant spicula mortis,
Certa tamen nobis vltima META DEVS.
b 2. Tim. c. 4 Qui cupis optatam cursu contingere vitam, [b]
Fac mandata DEI ; META salutis erunt.

ANAGRAMMA LVIII.

ALEXANDER SEPTIME

SEPE DEXTRA LINEAM.

Opera bona *Dextra Domini fecit virtutem. Psalm. 117.*

SArdoa Lex viuat vecordes crimine damnans !
Otia quæ plectit morte vel exilio.
Ingemuit perijsse diem qui dixerat Olim
a Marius Cato. Linea quin fiat, Nulla dies pereat. [a]
Cur Piger ore diem iactas benè Fine peractum
Dum tibi somnilego quodque quiescit opus ?
Non Blandire nimis, quòd non mala facta patraris,
Non Benè Facturos Horrida Pœna manet ! [b]
b Luc. c. 12 Austerus veniet seruo sudaria soluens [c]
c Luc. c. 19 Mnas ; Messemque metet ; væ tibi serue Piger !
LINEA ducetur quanto sum tempore viuens :
Ne postrema meum LINEA fallat opus ?

ANA-

ANAGRAMMA LIX.

ALEXANDER SEPTIME

PLENE SIM A DEXTERA.

Patrocinii — *Me suscepit Dextera tua. Psalm. 62.*

NOn ego sceptra, Thronos, non aurea Tecta superbus;
Nec regnare volo, nec dare iura peto:
Iudicis à dextris non Matre petente sedebo, a
Sim solùm nostri seruulus æde DEI.
O' mihi si liceat vicino viuere vobis
Siderei Ciues! Ploro, parate locum!
Eruar à miseris his tempestatibus Orbis:
Me tua mi IESV DEXTERA suscipiat!
Attamen in Terris teneat me dextra Parentis
Vt viuam semper tutus ab Hoste Cliens.
Me tibi ALEXANDRO Voueo; Fac, dicere possim:
Me tua suscepit DEXTERA Sancte Pater!

a Matth. c. 20

ANAGRAMMA LX.

ALEXANDER SEPTIME

SI DEERANT EXEMPLA.

Exemplum conuersionis — *Exemplum enim dedi vobis. Ioan. c. 13.*

EXemplis radiat viuacibus vndique Mundus:
Inspice; nam virtus quælibet Orbe patet.
Non fidei desunt. a Pietatis suspice Iacob. b
Est Ioseph Castæ Virginitatis Amans. c

a Gen. 15. c. b Gen. c. 12. c Gen. c. 39.

Quàm

d Exod. c. 32. Quàm mitis Moyses! d Patiens Iob. e Iosue Fortis. f
e Iob. 1. & c. 3 Mansuetus Dauid. g Quàm sapiens Salomon? h
f Iosue. c. 11 Quæ Iudith? i Esther virtutum femina spargunt? k
g 2. Reg. c. 16 Quæ Pia Septenis Prolibus Orba Parens? l
h 3. Reg. c. 3 Non veteres solùm leges exempla dederunt:
i Iudith. c. 13 Leges volue nouas, vndique plura patent.
k Esth. c. 7 Est Mundo lucens, Ardensque Lucerna Ioannes. m
l 2. Macch. 7. c. Exemplis tandem Luxit, & ipse DEVS! n
m Ioan. c. 5 Si tibi non sat homo virtutum hæc lumina lucent
n Ioan. 13. c. In tenebras cæcas lumine captus abi.

ANAGRAMMA LXI.

ALEXANDER SEPTIME

LEX DEI SEMPER NATA.

Prima Lex quando data. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Gen. c. 2.*

Fingant Legiferam Siculis quamcunque Poetæ,
Aut Druydas Gallis, *H*ippodamosque Getis;
Non mea multiuagos firmat sententia sensus;
His nondum visis Lex prior Orbe fuit.
Vix homo factus erat, iam Lex data viuere iussit:
a Gen. c. 2 De ligno vitæ sumere Mala caue! a
Quid dubias mentes cruciant examine legum?
b Rom. c. 3. Peccatum moritur Lex vbi nulla datur. b
Primus ab Orbe Parens nunquam sine lege perisset,
Lex violata DEI sola ruina fuit.
I nunc Latorum Legis scrutator inanis:
Fare, DEI LEX quo tempore NATA? Siles?
Nec dum natus homo Terris LEX NATA ligabat:
Sic tuum ALEXANDER SEPTIME *N*omen habet.

ANA-

ANAGRAMMA LXII.

ALEXANDER SEPTIME.

EXPEREMNE DILATA?

Spes firma. *Lætentur omnes qui ſperant in te.* *Pſal.* 5.

a. Tibul. eleg. ult. l. 2. IAM mala finiſſem letho, ſed credula vitam
Spes fouet, & meliùs cras fore ſemper ait. *a*
Tot ſpes ſollicitæ noſtris in mentibus errant;
Et quaſſat trepidus pectora noſtra metus.
Eſt ſpes longa nimis; vereor ludetur inanis:
Sors priùs expirat, quam bona ſpes veniat.
b. Philip. c. 2. Verùm ſit metus atque tremor quicunque ſalutem
Sperat, & ad Celſos tendit adire Choros. *b*
c. Psalm. 2. Confidam Domino lætabor fixus in illo. *c*
Fallere nil poterit: SPES mea CHRISTVS erit.
Quis me decipiat? Vel quis DILATA ruinet?
Dum Spiro Hunc ſpero; ſic benè tutus ero.

ANAGRAMMA LXIII.

ALEXANDER SEPTIME.

EN REM EXSPE DILATA.

Spes certa. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* *Pſal.* 39.

a. Ouid. l. n Ponto. SAepè aliquem Solers Medicorum cura relinquit
Nec ſpes Huic venâ deficiente cadit. *a*
Conſeruat vitam Medicis & Morte fugatis;

Lu-

b. Luc. c. 7. Ludunt sæpè suos corpora Necrophoros: b
Vnica Mater erat cui spes submersa iacebat,
Hanc tamen & Matri reddidit ipse DEVS.
Esto vir expectans Dominum: dabit omnia Numen;
Viribus es fractus? Spes bona, fortis eris.
Diuitijs vacuus? Spes bona, plenus eris.
Paupertate lacer? Spes bona, Diues eris.
Infirmus membris? Spes bona, sanus eris.
Hostibus expositus? Spes bona, tutus eris.
Cælum suspiras Spes bona, saluus eris.
Quis desperet DILATA SPE? Quem timor anget?
c Psal. 26. & 36. Prou 20. c. Expecta Dominum; c dat tibi Cuncta Deus.

ANAGRAMMA LXIV.

ALEXANDER SEPTIME.

PARENS MEDELA EXIT.

Pater Pauperum. *Factus est Dominus refugium Pauperi: Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Psalm. 9.*

IN Pretio Pretium nunc est, dat Census Honores,
a Ouid. l. 10 Fast. Census amicitias: Pauper vbique iacet. a
Vix oculos tangit species aut vmbra Menætis
Iam procul ad partes, quid dare, signa negant:
Constringunt humeros, oculos, & labra retorquent
Et fictè dextras dona carere dolent.
Irus prostratus, vel plenus vulnere Codrus
Ingeminent: Nummi diuitis Aure carent.
Ostia quis pulset, non norunt æra Penates,
Auro congesto quamlibet Arca crepat.
Orphanus, aut morbis fractus vel lumine Captus;

Pe-

Pectus Auarorum nulla Lacerna mouet.
b Matt 6.c. Post Cæli Dominum qui quodque volatile pascit b
Clamat ALEXANDRVM sobria Turma Patrem.

ANAGRAMMA LXV.

ALEXANDER SEPTIME.

LAPSI EX ME REDEANT.

Longanimitas. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Psalm. 7.*

VT sit, magna tamen certè, lenta Ira Deorum est a.
Et reor ingentes parturit illa minas:
Nunc quos blanda vocat vox dulcis murmure Patris
b Amos. 3. c. Tunc Væ! Terribilis rugiet ore Leo b
Si quos falsa Fides gremio Patris abstulit, adsint:
Dispersis ouibus semper ouile patet. c
c Ioan. 10. a. Qui gremio rueras noli tardare regressum;
Acrior ad pœnas suscitat ira DEVM:
Nam nisi conuersi fuerint ferus arma vibrabit
d. Matth. c. 21. Atque Reos feriet fulmine terribili. d
Nunc REDEANT EX ME LAPSI! Licet: Ostia Pando
Nomen ALEXANDRI Tempus adesse monet.



ANAGRAMMA LXVI.

ALEXANDER SEPTIME.

E PSALTE INDEX ERAM.

Oratio. *Psallam Deo meo quamdiù sum*, *Psalm*. 103.

DVlcia concordent dulces Psalteria voces
Conentur nostro psallere mente DEO.
a Ouid.l. 10. de art. aman. Hectora donauit Priamo prece Motus Achilles:
Flectitur iratus voce rogante DEVS, a
Numinis ira cadit; stringunt quasi vincula dextras
b Exod. 32. Vota, Precesque vetant sternere morte Reos b
c 2. Reg. c. 12. Quàm citò flexerunt Psalteria Numinis Iram,
Vnum PECCAVI temperat omne malum. c
d Psal. 150 Psaltes semper ero quidquid mihi luserit Orbis:
Cantabo Domino Cantica læta meo. d
e Iac. c. 5. e Eph. c. 5. Aequo sim, vel turbato, vel corde sereno e
f Psalm. 33 Laus eius fuerit semper in ore meo. f



ANA-

ANAGRAMMA. LXVII.

ALEXANDER SEPTIME.

EX SIDERE PLANETAM.

Sapientia. *Sapientia hominis Lucet ex Vultu eius. Eccles. 8. c.*

LVx mihi monstrat iter, tenebras quoque dissipat atras
Erronumque Chorus Luce patente fugit.
a Sap. c. 3 a Matt. c. 13 Est SAPIENS lux, est sol, lucida stella, Planeta a
b Dan. c. 12 Est Firmamenti denique Splendor; ait. b
Ad Summum sapiens vno minor est Ioue, diues
c. Horat. l. 1e. (Ad Mecænatem scripserat ille suum: c)
Liber, Honoratus, Pulcher, Rex denique Regum
Ex cuius vultu Lumina docta micant.
Sidera quid referam, atque incerta sede Planetas?
Vnicus in terris sufficit: Astra probant:
Fœlix Roma tibi iustum blandire Triumphum,
Namque tuà verus sede Planeta sedet.
Non fallo verbis quenquam, nec fallor ab illis:
Sic tua ALEXANDER SEPTIME Stella docet.



ABLATIVVS
AB HOC
ALEXANDRO SEPTIMO
LEX AMORIS TE PANDO.
ANAGRAMMA LXVIII.

Diuitia vera.

Dilexi mandata tua super aurum, & Topazion:
Psalm. 118.

EST Amor expansus, varièque vagatur in Orbe,
Et sua Compedibus quemque Cupido trahit.
Hic animam vendet lucro Mercator iniquus,
Alterius mentes falsa volupta trahit;
Huius Martis Amor pectus compellit in enses,
Attamen alterius pectora pulsat Honos.
Aurum; fulgentes lapides congestat Auarus
Per terras pontum, gemmiferumque vadum.
Inquirant aurum, quodcunque Topazion Orbis
Sexcentas mortes pellat Auaricies.
Argento duplicet, triplicet, quadruplicet Arcas
Pressus Thesauris semper Auarus eget.
Quid iuuat immensum te argenti pondus, & Auri? [a]
Vt viuas locuples, vel moriaris habes?
Heu veniet tandem certus Finitor Aceruì
Et quæcunque paras: dicito, cuius erunt? [b]
Thesauris inhias? Mandata DEI super Aurnm,
Argentum, & Gemmas dilige, diues eris. [c]

[a] Hor. l. 1. Saty. 1

[b] Luc. c. 12

[c] Matth. c. 19

ANA

ANAGRAMMA LIX.

ALEXANDRO SEPTAMO

AN EMPTO SOLE RADIX?

Vigilantia *Dum autem irent emere, venit Sponsus. Matth. c. 25.*

a Ioan. 11 SVrgite postquam sederitis, nunc Hora laboris [a]
Radices operum Sole patente date.
Adueniet tempus claudetur porta labori:
Oppressis somno, præmia nulla cadent.
Excute somniferum, tepida de mente, Papauer,
Iam promptus vigila sponsus adesse vocat.
Lampas habens oleum succensa resplendeat omni
Tempore, ne tenebræ tempora decipiant.
Inducet tenebras mors, longæ tempora Noctis,
Lucis adire Forum non tibi tempus erit,
Væ tibi, si careas extinctà lampade lucis!
a Ausonius Qùi poteris cæcas cæcus inire vias?
Viue memor Mortis, memor vt sis viue salutis; [a]
b Ouid. l. 3. Reg. Omnibus obscuras inijcit illa manus. [b]
Denique quid verbis opus est spectemur agendo
Sic semper manibus lucida lampas erit.



ANA.

ANAGRAMMA LXX.

ALEXANDRO SEPTIMO

EXEMPLO ORDINATAS.

Optime bona. *Exemplo didici disciplinam. Prou. c. 24.*

OMnibus, exemplis virtutum semita, ridet;
Nam claro nobis lumine monstrat iter.
Doctæ sint artes, vel sæui vulnere Martes,
Facta sequuturos Martis; & artis habent.
Quid cum ventosis consumpto tempore verbis?
Si careat factis, Doctor inanis erit.
Pulsa compulsa variato pectora sensu,
Discipulis nullus, nec mihi sensus erit.
Eheu quanta sonant per totum Cymbala Mundum
Ex his & quodnam sanctius esse solet?
a 1. Cor. 13 His fuero similis si solum tinnio verbis. [a]
Virtus exemplis discitur, & vitium.
b Matth. c. 18 Væ mihi si vitium! [b] Bene si sit Candida virtus:
c Matth. c. 16 Præmiat æternum singula facta DEVS. [c]



ANA.

ANAGRAMMA LXXI.

ALEXANDRO SEPTIMO

EN PAX MARTI DE SOLO.

Concordia. *Orietur in diebus eius Iustitia, & Abundantia Pacis. Psalm. 71.*

MArs constringe manus! Pharetris fera spicula
Conde!
Sit Pax in terris, non sonet arma solum!
Hactenus innocuum satis erubuere cruorem
Vultus, & Patriæ Regna sepulta meæ.
O' quot, quot dedit in cineres vaga flamma Penates?
Vrbes? ò sæui state! valete Rogi!
Condite Mucrones sub atroci Marte Tyrones,
Iam satis effusus clamat ad Astra cruor.
Quot Gentes Christi pretiosâ morte Redemptas
Sustulit, & Christi morte redempta cohors!
a Matth. c. 12. Heu! Fratres Christi a submergunt sanguine Fratres
Hoc scelus in Patrem b Terra cruenta siles?
b Matth. c. 2. Arma sile! spera benè PAX orietur abundans:
MAXIMVS in Terris Nomina Pacis habet.



ANA-

d Exod. c. 32. Quàm mitis Moyses! d Patiens Iob. e Iosue Fortis, f
Mansuetus Dauid, g Quàm sapiens Salomon? h
e Iob. 1. & c. 3 Quæ Iudith? i Esther virtutum femina spargunt? K
f Iosue. c. 11 Quæ Pia Septenis Prolibus Orba Parens? l
g 2. Reg. c. 16 Non veteres solùm leges exempla dederunt:
h 3. Reg. c. 3 Leges volue nouas, vndique plura patent.
i Iudith. c. 13 Est Mundo lucens, Ardensque Lucerna Ioannes. m
K Esth. c. 7 Exemplis tandem Luxit, & ipse DEVS! n
l 2. Match. c. 7 Si tibi non sat homo virtutum hæc lumina lucent
In tenebras cæcas lumine captus abi.

m Ioan. c. 5
n Ioan. 13. c.

ANAGRAMMA LXI.

ALEXANDER SEPTIME

LEX DEI SEMPER NATA.

Prima Lex quando data. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Gen. c. 2.*

Fingant Legiferam Siculis quamcunque Poetæ,
Aut Druydas Gallis, Hippodamosque Getis;
Non mea multiuagos firmat sententia sensus;
His nondum visis Lex prior Orbe fuit.
Vix homo factus erat, iam Lex data viuere iussit:
a Gen. c. 2. De ligno vitæ sumere Mala caue! a
Quid dubias mentes cruciant examine legum?
b Rom. c. 3. Peccatum moritur Lex vbi nulla datur. b
Primus ab Orbe Parens nunquam sine lege perisset,
Lex violata DEI sola ruina fuit.
I nunc Latorum Legis scrutator inanis;
Fare, DEI LEX quo tempore NATA? Siles?
Nec dum natus homo Terris LEX NATA ligabat:
Sic tuum ALEXANDER SEPTIME Nomen habet.

ANA-

ANAGRAMMA LXII.

ALEXANDER SEPTIME.

EXSPEREMNE DILATA?

Spes firma. *Lætentur omnes qui sperant in te. Psal. 5.*

a. Tibul. eleg. vlt. l. 2. IAM mala finiissem letho, sed credula vitam
Spes fouet, & meliùs cras fore semper ait. a
Tot spes sollicitæ nostris in mentibus errant;
Et quassat trepidus pectora nostra metus.
Est spes longa nimis; vereor ludetur inanis:
Sors priùs expirat, quam bona spes veniat.
b. Philip. c. 2. Verùm sit metus atque tremor quicunque salutem
Sperat, & ad Celsos tendit adire Choros. b
c. Psalm. 2. Confidam Domino lætabor fixus in illo. c
Fallere nil poterit: SPES mea CHRISTVS erit.
Quis me decipiat? Vel quis DILATA ruinet?
Dum Spiro Hunc spero, sic benè tutus ero.

ANAGRAMMA LXIII.

ALEXANDER SEPTIME.

EN REM EX SPE DILATA.

Spes certa. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Psal. 39.*

a. Ouid. l. 2. Ponto. SAnè aliquem Solers Medicorum cura relinquit
Nec spes Huic venà deficiente cadit. a
Conseruat vitam Medicis & Morte fugatis;

Lu-

b. Luc.c.7. Ludunt sæpè suos corpora Necrophoros: b
Vnica Mater erat cui spes submersa iacebat,
Hanc tamen & Matri reddidit ipse DEVS.
Esto vir expectans Dominum: dabit omnia Numen;
Viribus es fractus? Spes bona, fortis eris.
Diuitijs vacuus? Spes bona, plenus eris.
Paupertate lacer? Spes bona, Diues eris.
Infirmus membris? Spes bona, sanus eris.
Hostibus expositus? Spes bona, tutus eris.
Cælum suspiras Spes bona, saluus eris.
Quis desperet DILATA SPE? Quem timor anget?
c Psal. 26. & 36. Prou. 20. c. Expecta Dominum; c dat tibi Cuncta Deus.

ANAGRAMMA LXIV.

ALEXANDER SEPTIME.

PARENS MEDELA EXIT.

Pater Pauperum. *Factus est Dominus refugium Pauperi: Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Psalm. 9.*

IN Pretio Pretium nunc est, dat Census Honores,
a Ouid. l. 10 Fast. Census amicitias: Pauper vbique iacet. a
Vix oculos tangit species aut vmbra Menætis
Iam procul ad partes, quid dare, signa negant:
Constringunt humeros, oculos, & labra retorquent
Et fictè dextras dona carere dolent.
Irus prostratus, vel plenus vulnere Codrus
Ingeminent: Nummi diuitis Aure carent.
Ostia quis pulset, non norunt æra Penates,
Auro congesto quamlibet Arca crepat.
Orphanus, aut morbis fractus vel lumine Captus;

Pe-

Pectus Auarorum nulla Lacerna mouet.

b Matt. 6. c. Post Cæli Dominum qui quodque volatile pascit b

Clamat ALEXANDRVM sobria Turma Patrem.

ANAGRAMMA LXV.

ALEXANDER SEPTIME.

LAPSI EX ME REDEANT.

Longanimitas. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.* Psalm. 7.

VT sit, magna tamen certè, lenta Ira Deorum est [a]
Et reor ingentes parturit illa minas:
Nunc quos blanda vocat vox dulcis murmure Patris
b Amos. 3. c. Tunc Væ! Terribilis rugiet ore Leo [b]
Si quos falsa Fides gremio Patris abstulit, adsint:
Dispersis ouibus semper ouile patet. [c]
c Ioan. 10. c. Qui gremio rueras noli tardare regressum;
Acrior ad pœnas suscitat Ira DEVM:
Nam nisi conuersi fuerint ferus arma vibrabit
d. Matth. c. 21. Atque Reos feriet fulmine terribili. [d]
Nunc REDEANT EX ME LAPSI! Licet: Ostia Pando
Nomen ALEXANDRI Tempus adesse monet.



ANAGRAMMA LXVI.

ALEXANDER SEPTIME.

E PSALTE INDEXERAM.

Oratio Psallam Deo meo quamdiù sum, Psalm. 103.

DVlcia concordent dulces Psalteria voces
Conentur nostro psallere mente DEO.
Hectora donauit Priamo prece Motus Achilles:
a Quid. l. 10. de art. aman. Flectitur iratus voce rogante DEVS, a
Numinis ira cadit; stringunt quasi vincula dextras
b Exod. 32. Vota, Precesque vetant sternere morte Reos b
Quàm citò flexerunt Psalteria Numinis Iram,
c 2. Reg. c. 12. Vnum PECCAVI temperat omne malum. c
d Psal. 150 Psaltes semper ero quidquid mihi luserit Orbis:
Cantabo Domino Cantica læta meo. d
e Iac. c. 5. e Eph. c. 5. Aequo sim, vel turbato, vel corde sereno e
f Psalm. 33 Laus eius fuerit semper in ore meo. f



ANA-

ANAGRAMMA. LXVII.

ALEXANDER SEPTIME.

EX SIDERE PLANETAM.

Sapientia. *Sapientia hominis Lucet ex Vultu eius. Eccles. 8. c.*

LVx mihi monstrat iter, tenebras quoque dissipat atras
Erronumque Chorus Luce patente fugit.
a Sap. c. 3 a Matt. c. 13 Est SAPIENS lux, est sol, lucida stella, Planeta [a]
b Dan. c. 12 Est Firmamenti denique Splendor; ait. [b]
Ad Summum sapiens vno minor est Ioue, diues
c. Horat. l. 1e. (Ad Mecænatem scripserat ille suum : [c])
Liber, Honoratus, Pulcher, Rex denique Regum
Ex cuius vultu Lumina docta micant.
Sidera quid referam, atque incerta sede Planetas?
Vnicus in terris sufficit: Astra probant:
Fœlix Roma tibi iustum blandire Triumphum,
Namque tuà verus sede Planeta sedet.
Non fallo verbis quenquam, nec fallor ab illis:
Sic tua ALEXANDER SEPTIME Stella docet.



ABLATIVVS

AB HOC

ALEXANDRO SEPTIMO

LEX AMORIS TE PANDO.

ANAGRAMMA LXVIII.

Diuitiæ veræ. *Dilexi mandata tua super aurum, & Topazion: Psalm. 118.*

Est Amor expansus, varièque vagatur in Orbe,
Et sua Compedibus quemque Cupido trahit.
Hic animam vendet lucro Mercator iniquus,
Alterius mentes falsa volupta trahit;
Huius Martis Amor pectus compellit in enses,
Attamen alterius pectora pulsat Honos.
Aurum; fulgentes lapides congestat Auarus
Per terras pontum, gemmiferumque vadum.
Inquirant aurum, quodcunque Topazion Orbis
Sexcentas mortes pellat Auaricies.
Argento duplicet, triplicet, quadruplicet Arcas
Pressus Thesauris semper Auarus eget.
a Hor. l. 10 saty. 1 Quid iuuat immensum te argenti pondus, & Auri? a
Vt viuas lucuples, vel moriaris habes?
Heu veniet tandem certus Finitor Acerui
Et quæcunque paras; dicito, cuius erunt? b
b Luc. c. 12 Thesauris inhias? Mandata DEI super Aurnm,
Argentum, & Gemmas dilige, diues eris. c
c Matth. c. 19.

ANA


ANAGRAMMA LIX.

ALEXANDRO SEPTIMO

AN EMPTO SOLE RADIX?

Vigilantia *Dum autem irent emere, venit Sponsus. Matth. c.25.*

a Ioan.12 SVrgite postquam sederitis, nunc Hora laboris [a]
Radices operum Sole patente date.
Adueniet tempus claudetur porta labori:
Oppressis somno, præmia nulla cadent.
Excute somniferum, tepida de mente, Papauer,
Iam promptus vigila sponsus adesse vocat.
Lampas habens oleum succensa resplendeat omni
Tempore, ne tenebræ tempora decipiant.
Inducet tenebras mors, longæ tempora Noctis,
Lucis adire Forum non tibi tempus erit.
Væ tibi, si careas extinctà lampade lucis!
a Ausonius Qui poteris cæcas cæcus inire vias? [a]
Viue memor Mortis, memor vt sis viue salutis;
b Ouid. l.3. Reg. Omnibus obscuras inijcit illa manus. [b]
Denique quid verbis opus est spectemur agendo
Sic semper manibus lucida lampas erit.



ANA-

ANAGRAMMA LXXI.

ALEXANDRO SEPTIMO

EN PAX MARTI DE SOLO.

Concordia. *Orietur in diebus eius Iustitia, & Abundantia Pacis.* *Psalm. 71.*

MArs constringe manus! Pharetris fera spicula
Conde!
Sit Pax in terris, non sonet arma solum!
Hactenus innocuum satis erubuere cruorem
Vultus, & Patriæ Regna sepulta meæ.
O' quot, quot dedit in cineres vaga flamma Penates?
Vrbes? ò sæui state! valete Rogi!
Condite Mucrones sub atroci Marte Tyrones,
Iam satis effusus clamat ad Astra cruor.
Quot Gentes Christi pretiosà morte Redemptas
Sustulit, & Christi morte redempta cohors!
a Matth. c. 12. Heu! Fratres Christi a submergunt sanguine Fratres
Hoc scelus in Patrem b Terra cruenta files?
b Matth. c. 2. Arma file! spera benè PAX orietur abundans:
MAXIMVS in Terris Nomina Pacis habet.



ANA-

ANAGRAMMA LXXII.

ALEXANDRO SEPTIMO

PROXIMA SOLE DANTE.

Aeternitas *Ignorat homo, quid post se futurum sit. Eccl.c.10.*

SIS Plato, vel Aristoteles, Doctusque Menander,
Sophocle sis maior, nec Salomone minor:
Perscrutare solum, Pontum; benè discute Cœlum
Noctibus impensis discito, iunge dies:
Indaga Stellas, cognoscere disce Planetas,
Astrologùm cunctos mente reuolue libros:
Consule, quotquot in Orbe vago vixere, Prophetas:
Ex his quæ post te Nemo Futura docet.
Vertetur Cœlum, nosti; vertetur & Orbis,
Nosti; sed post te quid sit? vbique latet.
Vnum nos voluit cunctos ediscere Numen;
Disce: Quid? AETERNVM! Cætera cuncta silent.

ANAGRAMMA LXXIII.

ALEXANDRO SEPTIMO

PREMIANDOS EX ALTO.

Merces sanctorum *Inclinaui cor meum ad faciendas Iustificationes tuas in æternum propter Retributionem. Psalm. 118.*

a Ouidius ASTra tenent cæleste solum formæque Deorum,
Quo non exiguo facta labore via est. *a*
In duros stimulans cœlestia dona labores
1 Rom.c.17 In quos pro cælo Corpora prona ruunt. *b*

In

In medios Hostes donorum gloria pellit:
  Ignorat, vitæ parcere, dona videns:
Non horret glandes belli, nec grandinis imbres,
  Hostibus immersus vulnera nulla timet;
Obseruat strictè præduras pondere leges,
  Insomnes noctes, ardua quæque placent.
Hæc virtute patet non auro semita Cæli,
  *N*on gazis; Vendunt astra labore Dij.
Inclina cor pro faciendis legibus: Et quid?
  Ex alto venient præmia magna Throno.
Ingentes meritis Thesauros Sidera claudunt:
  Obseruas Leges? Certus es astra leges.





ANAGRAMMA LXXIV.

ALEXANDRO SEPTIMO.

EXOPTANDO SALIREM.

Lætitia Sanctorum. *Exultabunt Sancti in gloria. Psal. 149.*

EXcitat Auditor studium, laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria Calcar habet. [a]
Exultant Sancti quoties mens sidera pensat,
Quantaque sub stellis gloria magna latet. [A]
Quam Citharæ dulces resonant & tympana voces?
Tibia cum Sistris, Organa cumque Tubis? [b]
Cantica Cælestes spargunt quàm dulcia Ciues
In quibus excelsis Montibus Agnus adest. [c]
Lætentur Cæli cum Sanctis Terra triumphet!
Quod magis, exultent omnia ligna DEO. [d]
Deficit hic animus contemplans gaudia Cæli,
Et quæ sit Sanctis gloria, dante DEO. [e]
Nulla latet Cælis infandi causa doloris;
Summa patent cunctis gaudia, summa quies.
Quis non plus iubilet Rhodio (cui Roma coronat
Gnatos [f]) dum cinget Dia corona caput?

a Ouid l.1. de Pont.
A 1 Cor. c.2.
b Psal. 150.
c Apoc c.13
d Psal. 95.
e Psal. 83.
f Cic. lib. 1 o Tusc. Gell. l.3. noct.



ANA-

ANAGRAMMA LXXV.

ALEXANDRO SEPTIMO.

ADNIXO SOLE PARTEM.

Gratia DEI *Permanet cum Sole, & ante Lunam. Psalm. 71.*

QVis mea Pugnantis solidabit Pectora? Neruis
Quis nostris addet Robura? Nonne DEVS?
Quis mihi firmabit versus fera Tartara vires,
Et carnem Mundum vincere? Nonne DEVS?
Hoc ego SOLE meam ADNIXO pugnauero PARTEM;
Donec ego Cæli PARTE Beatus ero.
* 2. Tim. c. 2, & c. 4. Hostibus obstaboque meis nunc Firmus, & Audax
Non timor ex Pugnæ coget abire loco.
Spero pugnantem me Sol & Luna iuuabunt
Felix & certus denique Victor ero.
Quis Sol? Iustitiæ, coram quo Sole manebo;
Pulchra decora nimis Luna MARIA mihi.



ANAGRAMMA LXXVI.

ALEXANDRO SEPTIMO

PANDO, SOL EXIT MARE.

Natiuitas Christi. *Tanquam Sponsus procedens de Thalamo suo. Psal.* 18.

SVrgite somnilegi! Thalamos iam linquite vestros.
En Phœbus Roseis Frena reponit Equis.
Siderei fugiunt oculi, Tenebræque profundæ.
Iam Tenebras oculis diluat vnda vagis.
Quàm iubilant suaues volucrum nunc vndique voces!
Et nostro gaudent Orbe venire diem.
Vt tua mollis Olor concludit corpora Victor?
Prò Pudor! Hem! propera Surgere! Vince Thoros
Qui dormis nunc surge[a] Vide Sol exit ab Vndis
Tanquam de talamo: Plaudite! Sponsus adest.
Solem miraris? Quis Sol & quod MARE Pando:
SOL DEVS, & Mater virgo MARIA MARE.

[a] Ephes. c. 5



ANA-

ANAGRAMMA LXXVII.

ALEXANDRO SEPTIMO.

AN DE ROMA LEX POTIS?

Ecclesia Romana

Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem. Act. c. 25.

QVid vereare tibi Romanum sumere Nomen?
Cur Mare, cur Tellus conglatiata Times!
Non est Romanis quenquam damnare; Salutem
Veram damnatis reddere ROMA solet:
Quidquid per Terras, per Aquas est lege ligatum
Has Orbi leges Inclita ROMA dedit.
Est Orbi dominans est & Regina Thronorum,
ROMA iubet? Tellus, Pontus & astra probant.
Legibus hæc Animos, non solùm corpora, vincit:
Miraris? Quæris cur? Quia Roma caput.
Hæc damnare nequit; Saluare potest, dare Cœlum:
Ergo Romanus viuere, disce mori.
AN LEX DE ROMA POTIS est non disputet Orbis
Nam ROMANA Fides sola salutis iter



ANA-

ANAGRAMMA LXXVIII.

ALEXANDRO SEPTIMO.

EXI MORS DE PLATANO.

Vita aeterna *Quasi Platanus exaltata sum.* Ecclef. c. 24

a Iuuenal. Sat. 10. DA fpatium vitæ, multos da Iupiter annos! a
Hoc Rofeus Vultu, Pallidus Hocque petit.
Nemo Mortis amans; omnes depellere mortem,
Cum tamen Hæc omnes demetat Enfe prior.
b Luc. c. 12 Cuncti fufpirant æternas viuere vitas; b
Cùm tamen AETERNO non fit in Orbe locus.
Pharmaca conquirunt vigiles, Medicina paratur:
Hippocrates, Diocles atque Galenus adeft.
Ifta Sion nefcit Mortis Carpenta dolorum,
Illa nihil fæui Vita doloris habet.
Exaltare priùs PLATANVS quafi vertice Cælum,
Dimoue membra folo, Corpora fige Polo:
Tunc poteris tandem Felix hoc ludere carmen
EXI DE PLATANO MORS! Fuge! Vita veni!



ANA-

ANAGRAMMA LXXIX.

ALEXANDRO SEPTIMO

SOL. NOXIE AD PARTEM.

Fuga Pestis.

Si oborta fuerit Pestilentia, aut corruptus Aer; tu exaudies in Cælo; & propitiaberis. 3. Reg. c. 8.

QVàm lugubre solum Cæcæ dum spicula mortis
In Ciues furiunt! Quàm mala Messis adest!
Tristis Turba legit Tristes sub falce maniplos:
Inijcitur Rhedis Tristis Arista suis!
Millia prò! quondam triginta Florentia fleuit! [a]
Quos vnà solùm Mors fera Messe tulit.
O' quantis doluit lacrymis Byzantia Ciues,
Dum tercenta tulit millia Peste, Fame! [b]
Est dolor immensus tantos numerasse sepultos!
Orbis & Astra gemunt! Bruta cauete cohors!
Immisit Falcem fera mors & censuit audax
Ciui Romanas Cæca serare vias.
Tristis Roma tuos remoue de pectore planctus,
Et tua luctiferis exue membra Togis.
En solamen ALEXANDER tibi SEPTIMVS addit
Qui iubet: AD PARTEM NOXIE SOL fugias!
Hem, fugit ad vocem, veneratur Principis Vrbem;
Orbis & Astra probant: Bruta valete cohors!

[a] Plin. 1400 An.

[b] Sub Leone Isaur. Test. Gol. & Regn.



ANA-

ANAGRAMMA .LXXX.

EX MARIA DENT POLOS.

Porta Cœli. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Prou. c. 8.*

HIc Scopus est rerum, Felix hic terminus vnus,
Hunc nisi tangat homo semper aberrat homo.
Ortus, & occasus nostram benè verterit vrnam;
Si dederit Celsos Fertilis vrna Polos.
Est modus in rebus: Certissimus esto salutis
Scandere si Cœli culmina corde cupis.
a Matth. c.7. Vnica Porta Poli: Plures ad Tartara Portæ;
a Luc. c. 13. Illam scrutare, has corpore mente caue.
b Matth. c. 16. Ergo age scrutator Cœli, scrutare MARIAM!
Hac Porta inuenta, vita salusque patent.
Non aliâ voluit Numen descendere Portâ;
Hac & non aliâ sidera scandet Homo,
Ergo quisquis amas Felix conscendere Cœlos:
Ecce dabit Mater Virgo MARIA POLOS.

NVMERO PLVRALI.

ALEXAN. SEPTIM.

CEssa! Non alij proprio pro Nomine Casus:
Nam, nec ALEXANDER SEPTIMVS alter erit;

EPI.

EPIGRAMMA I.


AD B. V. MARIAM.

TE precor ò Virgo, Genitrix, & Ianua Cœli,
Vita, Salus hominum, lucida Stella Maris:
Huius fac Mundi tumidas ſuperare Procellas!
Tu Cœli doceas Mater adire vias!
a Phil. c. 2 Prò dolor! Hæremus dubij de fi·e ſalutis a
Poſt te curremus, dirige Virgo pedes!
Tu me, Tu populum, Tu totum dirige Clerum!
Te duce ſic locuples quiſque ſalutis erit.



EPIGRAMMA II.

AD ECCLESIAM FVNDATAM.



Matth. c.16.

O Te felicem Fundatam in Robore PETRAE,
Cui DEVS adiecit culmina sena PETRAE!
Si priùs Inferni nequeunt te vincere Portæ,
Quàm minùs Infernus nunc superare potest?



EPI-

EPIGRAMMA III.

AD ECCLESIAM MILITANTEM.




PVgna, non errare vales Ecclesia Christi,
Per Mare, per Terras! vndiq; STELLA præit.
Monstrat STELLA Maris superare MARIA Procellas:
Orbis ALEXANDRI STELLA secunda docet.



EPIGRAMMA IV.

AD ECCLESIAM TRIVMPHANTEM.



HEu, generosa Cohors! Pugna! Clamatur ad Arma!
Fortiter expugna! Vince! Triumphus adest.
Duplex expectat vincentem LAVREA! Cœli, &
Altera ALEXANDRI cinget Oliua Caput.



EPI-

EPIGRAMMA V.

AD ALEXANDRI VII. ARMA.



LAurea virginibus crescit: pro Martyre Palma;
Et Confessores Mitis Oliua manet.
SPIRITVS accendit Stellæ Doctoribus ignes:
Montes dant cunctis robora firma viris.
Pergite constantes! Diademata tempora cingent
Et seni Montes Mœnia firma dabunt.
Pergite victores! Non declinate labores;
Discite iam cupidi: VINCERE, FERRE, PATI.
Arma vides? Hæc arma stupes? Tu vince, capesces
Quæ tibi conuenient Præmia: Lætus abi.



EPIGRAMMA VI.

AD ALEXANDRVM SEPTIMVM.

a 2. Esdr. SAnctificandus erat præcepto SEPTIMVS Annus a
c. 10. SEPTIMVS & mensis b, SEPTIMA quæque dies. c
b 2. Esdr. c. Sanctus Sanctorum cunctos vult viuere sanctos d
8. Sanctior ecquid homo SEPTIMVS æque datur?
d Exod. 32. Iusserat ex Sanctis, vt sit SANCTISSIMVS VNVS:
c. Non minùs ex istis SEPTIMVS esse solet.
d Matth. c. 5.



EPIGRAMMA VII.

AD SEPTENTRIONEM.

EVigila tandem gelidis Pars vltima Terris,
 Excussis Tenebris tecta reuise Patris!
SEPTIMVS est, Natura docet; SEPTENTRIO surge!
 En! Regina præit, Prona sequare ducem.



O B.

OBLATIO LABORIS:

PArce, Beatissime Pater, *Si* labor meus tuæ Maiestati minùs Respondeat: Solatur enim me *N*on à Patribus effectum, sed (Quod ipsi SANCTO SANCTORVM proprium est) affectum Filiorum ponderari.

Spero tua Sanctitas paterno Benignitatis Oculo hunc meum affectum intuebitur. Viue, Vale! sic DEVM eiusque Matrem precor.

Tuæ Sanctitatis Sanctissimorum Pedum

Puluis subiectissimus.

Ioannes Baptista Pechtner Theologus. Quardiæ Curatus.



INDEX
ANAGRAMMATVM
CVM SENTENTIIS.
NOMINATIVO, HIC
ALEXANDER SEPTIMVS

1 Planemus ei dextras.
In manibus suis portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Psalm. 90.

2 Ex Planta sedeimus.
Sumam de Medulla Cedri sublimis, & plantabo super Montem excelsum & eminentem. Ezech. c. 17.

3 Index meus læta pars.
Paratum cor meum DEVS, paratum cor meum! Psalm. 56.

4 Rex est Palma videns.
Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Psalm. 2.

5 Ex Palæstra mens diù.
Erudimini, qui iudicatis Terram. Psalm. 2.

6 Veni texamus plenas.
Surgam & ibo ad Patrem meum. Luc. c. 15.

7 Nam Deus explet iras.
DEVS Maiestatis intonuit, vox Domini confringentis Cedros. Psal. 38.

8 Ter explanamus dies.
Cum dilatauero terminos tuos ascendente te, & apparente in conspectu Domini DEI tui ter in Anno. Primitias offeres. Exod. c. 34.

6 Ex re Plantamus dies.
Quodcunque ligaueris super Terram, erit ligatum in Cœlis, & quodcunque solueris erit, & solutum. Matth. c. 16.

10 Stemus, Arx Dei plena.
Concupiscit, & deficit Anima mea in Atria Domini. Psalm. 58.

11 Sit Pax, ne des Murale.
Suscipiant Montes Pacem Populo. Psalm. 71.

12 Sed sit Pax, alemurne?
Iudicabit Pauperes Populi, & saluos faciet Filios Pauperum. Psal. 71.

13 Rex IESV dem Plantas!
Ibunt Rami eius, & erit quasi Oliua gloriosa, & odor eius, vt Libani. Osea. c. 14.

14 Sum Ales pernix ad te.
Quis dabit mihi Pennas vt Columbæ, & uolabo, & requiescam! Psalm. 58.

GENITIVO HVIVS
ALEXANDRI SEPTIMI

15 Rex sit in Palma DEI.
DEVS in Cœlo, & dominaris cunctis Regnis Gentium, in manu tua est Fortitudo, & Potentia. 2. Paral. c. 20.

16 An dilexisti Parem?
Anima Ionathæ conglutinata est Animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi Animam suam. 1. Reg. c. 18.

17 Dilexi parem Natus.
Cor meum diligit Principes Israel, qui propria voluntate obtulistis uos discrimini. Iudic. c. 5.

Ere-

18 Erexit Palmas Nidi.
Dicebam in nidulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies. Iob. c.29.

19 Si Lex danti Premia?
Benefac Iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino. Eccl.c.12.

20 Dixi Prelia metans.
Perierunt in prælio à facie Domini DEI mei. Iudith.c.16

21 Mel Sinaxi; trepida!
Sanctum, & terribile Nomen eius. Psalm.110.

22 Dixit Prelia sanem.
Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt. Custodi Animam meam, & erue me. Psalm. 24.

23 Predixi, sana litem.
In via intra se disputauerant quis eorum maior esset. Marc.9.

24 Relaxant Pijs diem.
Ponite verba mea in Cordibus, & Animis vestris, vt multiplicentur dies. Deut.c.11.

25 Pia lex transi diem.
Finis enim Legis Christus, ad Iustitiam omni credenti. Rom.c.10.

26 **Sint Radij exempla.**
Vos estis Lux Mundi. Matth.c.5.

27 **Adrepit mel Anxijs.**
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth.c.11.

28 Emi, sat planxi, redi.
IESVS autem iterum Clamans voce magna emisit spiritum. Matth.c.27.

ALEXANDRO SEPTIMO

29 Exaltandos Premio.
Dispono vobis, vt sedeatis super Thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Luc. 22.

30 Si dent arma ex Polo?
Apparuit præcedens eos Eques in veste Candida armis aureis hastam vibrans. 2. Matth. c. 11.

31 Antea simplex Ordo.
Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Philip. c. 3.

32 Senex Poli Amor dat.
Sic DEVS dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Ioan. c. 3.

33 Pone dat Lex Amoris.
Scimus autem quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum. Rom. c. 8.

34 Lex ero dans Optima.
Bonum mihi Lex oris tui super millia auri, & argenti. Psalm. 118.

35 Da ex Solemni Porta.
Benedictionem dabit Legislator. Psalm. 83.

36 Ex omni parte do Sal.
Vos estis sal Terræ. Matth. c. 5.

37 Mox paret saliendo.
Quòd si sal euanuerit in quo salietur. Matth. c. 5.

38 Dolesne Arx Optima?
Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psalm. 118.

39 An Pado rexit Solem?
Flumina plaudent manu. Psalm. 97.

Nolo,

40 Nolo, Adam respexit.
Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Gen.c.3.
41 Da ex Solemni Prato.
Rigabo Hortum meum plantationem, & inebriabo Prati mei fructum. Eccl.c.24.

ACCVSATIVO HVNC

ALEXANDRVM SEPTIMVM

42 Rex plasmat ei Mundum.
Omnia subiecisti sub pedibus eius. Psalm 8.
43 Dum Murex planat meis.
Byssus, & Purpura indumentum eius. Prou.31.
44 Mundum Mare Pax telis.
Clamauit voce magna dicens, nolite nocere terra, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos DEI nostri. Apoc.c.7.
45 Sile, Pax armet Mundum.
Et in terra Pax hominibus bona voluntatis. Luc.c.2.
46 Patrem exulum damnis.
Exules, et profugi ante mortem Pontificis nullo modo ad Vrbes suas reuerti poterunt. Num.c.35.
47 Petre mi, Luxum damnas?
Quia DEVS superbis resistit. 2. Petr.c.5.
48 Lux per amandum mites.
Quoniam tu Domine suauis, et mitis. Psalm.85.
49 Dem, in Petra Lux summa.
Ascendit ignis de Petra. Iudic.c.6.
50 Mirum, ex lampade sunt.
Oculi eius, vt Lampas ardens. Dan.c.19.

Mun-

51 Mundè ſimplex amatur.

Scio DEVS meus, quòd probes corda, et ſimplicitatem diligas. 1. *Paralip.c.*29.

52 Nam ſitum duplex mare.

Iureiurando dedit illi gloriam à mari, vſque ad mare, et à flumine, vſque ad terminum eius. *Eccl.c.*44

53 Deplue trans maximum!

*Quis eſt pluuiæ Pater? Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum? Iob.c.*38.

54 Eplanxi demum turmas.

Conuertiſti Planctum meum in gaudium. Pſalm. 29.

VOCATIVO O'

ALEXANDER SEPTIME,

55 Lexnè demit aſpera?

*Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Matth.c.*11.

56 DEI lex penas armet.

In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi. Pſalm. 118.

57 Prenſa, lex DEI Meta.

*Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth.c.*19.

58 Sæpè dextra lincam.

Dextra Domini fecit virtutem. *Pſal.* 117.

59 Plenè ſim à Dextera!

*Me ſuſcepit Dextera tua. Pſalm.*62.

60 Si deerant Exempla?

*Exemplum enim dedi vobis. Ioan.c.*13.

61 Lex DEI ſemper nata.

*De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Gen.c.*2.

62 Exſperemnè dilata?

Lætentur omnes qui ſperant in te. Pſal. 5.

Pa-

63 En Rem ex ſpe dilata.
Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Pſal.39.
64 Parens Medelæ exit.
Factus eſt Dominus refugium Pauperi: Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Pſalm.9.
65 Lapſi ex me; redeant.
Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit. Pſalm.7.
66 E' Pſalte Index eram.
Pſallam Deo meo quamdiu ſum. Pſalm.103.
67 Ex Sidere Planetam.
Sapientia hominis Lucet ex Vultu eius. Eccleſ.8.c.

ABLATIVO AB HOC

ALEXANDRO SEPTIMO

68 Lex Amoris te pando.
Dilexi mandata tua ſuper aurum, & Topazion. Pſalm.118
69 An empto Sole Radix?
Dum autem irent emere, venit Sponſus. Matth.c.25.
70 Exemplo ordinatas.
Exemplo didici diſciplinam. Prou.c.24.
71 En Pax Marti de ſolo.
Orietur in diebus eius Iuſtitia, & Abundantia Pacis. Pſalm.71.
72 Proxima Sole dante.
Ignorat homo, quid poſt ſe futurum ſit. Eccl.c.10.
73 Premiandos ex Alto.
Inclinaui cor meum ad faciendas Iuſtificationes tuas in æternum propter Retributionem. Pſalm.118.
74 Exoptando ſalirem.
Exultabunt Sancti in gloria. Pſalm.149.
75 Adnixo Sole partem.
Permanet cum Sole, et ante Lunam. Pſalm.71.

Pando

76 Pando, Sol exit Mare?

Tanquam Sponsus procedens de Thalamo suo. Psal.18.

77 An de Roma Lex potis?

Non est Romanis Consuetudo damnare aliquem hominem. Act.c.25.

78 Exi Mors de plantano.

Quasi Platanus exaltata sum. Eccl.c.24.

79 Sol noxie ad partem!

Si oborta fuerit Pestilentia, aut corruptus Aer; tu exaudies in Cœlo; et propitiaberis. 3.Reg.c.8.

80 Ex MARIA dent Polos.

Qui me inuenerit, inueniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Prou.c.8.

EPIGRAMMATA.

1.
Ad B. V. MARIAM.

2.
Ad Ecclesiam Fundatam.

3
Ad Ecclesiam Militantem.

4
Ad Ecclesiam Triumphantem.

5
Ad Arma ALEXANDRI VII.

6
Ad ALEXANDRVM VII.

7
Ad Septentrionem.

